67-6-E-27

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
27 F
M 29

Digitized by Google

17. 27. F. 19.

Digitized by Google

Digitized by Google

ΘΕΡΜΟΠΟΣΙΑ

ſeu

DISSERTATIONES MEDICÆ DUÆ

DE

POTU CALIDO,

AUTHORE

MARCO MAPPO,

Med. D. & PP. in Academ.

Argentorat.

Apud JOH. FRIDERIC. SPOOR,
& REINHARD. WÆCHTLER.
Anno M DC LXXV.

Biblioth.ca PP. Scholarum Piarum S. Pantaleonis

ex hereditate Francisci de Scivei[illegible]

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

12.27.F.99

Digitized by Google

ΘΕΡΜΟΠΟΣΙΑ

ſeu

DISSERTATIO MEDICA

De

POTU CALIDO.

§. 1.

QUamvis experimentorum tum Anatomicorum tum Chymicorum multiplici varietate, noſtro & ſuperiori ſeculo, Ars Medica in tantum illuſtrata & exornata ſit, ut jam parum pleriſque videatur, Majorum evolviſſe placita, illiſque inhærere, attamen novis (qui mos eſt ſeculi) ſemper, receptorum tædio, aut ineptâ credulitate, aut affectatâ in magnos quosdam viros reverentiâ, aut vanâ libidine inhiare, malè conſtituti ſyncipitis videtur. Nos comparare nonnunquam vetera recentibus, & quæ dies noſtros dies majorum docuerunt, repetere, auxiliaque etiam ex antiquitate quærere, partem curarum noſtrarum non minimam conſtituimus. Ex libro ſanè Naturæ ſua etiam hauſere veteres: Et, cum modò pleriosque mutuis paſſim vulneribus confoſſos, cadere videam, quibus Medicinam veteré funditus ſubvertere animus eſt, Inventores autem eorum, quæ exornant hodie medicinam, nullos inveniã, niſi qui maturato per antiquitatem judicio, ad inventionis laudem pervenerunt, Veterum etiam commentis ſapere ne dedignemur.

§. 2. Hoc conſilio, ſicut in aliis, ita & circa ea, quæ ad diætam ſeu regimen ſex rerum Non-naturalium, quas vocamus, quo

quicquid in homine tum ſano tum ægro ſecundum naturam eſt, conſervare debemus, pertinent, ex veterum inſtitutis emendationem quandoque quandam haurire, aut in iis, quæ benè ab illis in vita humana conſtituta ſunt, confirmari, ſatius eſſe exiſtimamus, quam ex novis circa nova (ſi Diis placet) reperta, nugis, acutioris ingenii perverſam affectare gloriam.

§. 3. Multa circa notatarum modo rerum uſum à priſcis medendi artificibus tradita, multa veterum conſuetudine probata, quæ, quoniam ipſis ipſi non utimur, inutilia vulgo habentur, & cum ſupercilio damnantur. *Quemadmodum multa fieri non poſſe, priusquam facta ſunt, judicantur, ita multa quoq; quæ antiquitus facta ſunt, quia nos ea non vidimus, neq; rationem aſſequimur, ex iis eſſe, quæ fieri non potuerunt, judicamus: quæ certè ſumma inſipientia eſt.*

§. 4. In medium modo producimus *Potum calidum*, quem pro fabula aut monſtro qui non habeant, paucos forſan reperias, pauciſſimos numeraturus, niſi viri nonnulli in antiquitate verſatiſſimi hiſtoriam rei illuſtraſſent, præſertim cum docti quidam viri diverſum obtinuiſſe poterant videri.

§. 5. Conſiderabimus autem Potum calidum, prout eum mortales ſani dum agũt, vel averſantur vel laudant, ideq; à Medicis commendatur vel vituperatur, in ordine ad ſanitatem conſervandam, cæteris, quæ de potu calido in ægris dicenda reſtant, in proximam diſſertationem reſervatis.

§. 6. Dum autem ad ea, quæ de Potu calido medicè enucleare operæ pretium duximus, accingimus, quoniam in foro ſubinde medico & aliàs, aliter atque aliter vocabulum Potus & quæ ei uſu reſpondent nomina, πῖμα, πόσις, πότημα, ποτὸν, πότος, deducta à verbo πίνω bibo, accipiantur, nec minus Calidi nomen ſit πολύσημον, ne committamus, memores præcepti Ariſtotelici, *II.* Soph. Elench. c. 2. ut diligentia noſtra in diſtinguendis vocabulis deſideretur.

§. 7. Quod igitur Potum attinet 1. in Scholis Medicorum non infrequens eſt ſignificatio, quâ notat alimentum liquidum, & opponitur cibo ſolido, nititurque auctoritate Hippocratis *Aphoriſm. II.* 11. quando ait, Ῥᾷον πληροῦσθαι ποτοῦ ἢ σιτίου. *Potu quam cibo refici eſt facilius.* Hoc enim ſibi vult, citius promptius & expeditius

peditius refocillari, qui ἀναλήψει καὶ ἀναθρέψει opus habent, humidis & liquidis alimentis; cujusmodi ſunt vinum, ova tremula & ſorbilia, brodia carnium, juſcula ex aliis rebus, colatitia fercula, conſumpta, expreſſa, deſtillata, gelatinæ: quoniam ſcil. talia facilius concoquuntur & diſtribuuntur partibus. Et ad imitationem Hippocratis, loquitur Schola Salernitana, ſcribens:

Vt vites pœnam, de potibus incipe cœnam.

Inculcare enim voluit, initium cœnæ à liquido concoctuque facili alimento, eſſe petendum. II. Communiter potus nomine intelligimus ſubſtantiam liquidam & fluidam, quæ ſitis extinguendæ gratiâ præcipuè aſſumitur, quæ ſignificatio hujus etiam loci.

§. 8. Potus porrò in ſpecie calidæ ſeu caldæ (per ſyncopen) ſc. aquæ, nomen (maluerunt autem dicere Potum Calidæ quàm calidum, quia ut annotant, ad quos talium rerum inveſtigatio pertinet, priſcos tum calidam aquam hauſiſſe, tum eâ ipsâ affuſâ vinos hoc calefeciſſe) cui reſpondet Græcorum θερμὸν, quod concernit, nec illud ſemper idem notat. Modò enim I. Aquam, quæ qualis ſuâ naturâ erat, potaturis porrigebatur, i. e. cujus frigus nec glacie, nec nive, nec alio ingenio erat intenſum, notat: quo ſenſu, æſtate etiam, noſtro nos idiomate, vinum calidum pronunciamus, etſi modo ex loco ſubterraneo frigido ſit allatum, quando ſc. non riget arte. Quo etiam ſolùm ſenſu Hieronymus Mercurialis (*var. lect. l. c.8.* Veteres calidam bibiſſe concedit in Conviviis, addens *illam communem Aquam Caldam appellatam fuiſſe, ut eam à frigefactâ nivibus vel alio ingenio, conviviis inter petendum, & miniſtris inter ſerviendum diſtinguere liceret.* Modò II. notat Potum caldæ factitiæ, ſeu ſtudio & induſtriâ excalefactæ, beneficio maximè ignis: quo ſenſu nos accipimus, & modò citatus Hieronym. Mercurialis Veteres calidâ in potu uſos eſſe negat, ſi excipias, 1. qui potum, cuius frigiditas admiſtione calidæ eſſet remiſſa, poſtulabant, ut ab omnibus frigidis læſi, etiam in potu frigus vitarent. 2. qui vomere cupiebant, ut copioſius deinde & majori fame ingurgitarent. Adeoque probatur III. Mercuriali etiam illa ſignificatio, qua Potus calidæ, Tepidum notat. Neque enim vomitum ita à calido ſed à tepido expectes potu: hic enim inter calidum & frigidum medius ex neutro gratiam trahit, ſed faſtidium ſtomacho creat, & inde vomi-

Digitized by Google

tum ciet. Andreas Baccius *hiſtor. vin. IV. p. 176.* exiſtimat, per potum calidæ indigitari, confectiones quasdam dulces, ita appellatas, quod potari non poterant niſi diſſolutæ: quem tamen meritò redarguit vir doctiſſimus Joh. Antonid. van der Linden *Select. Medic. diſſert.* quæ inſcribitur Vini Pleni §. 158.

§. 9. Differentiam equidem inter Calidam & Caldam conſtituit Nicolaus Maſinius *de gelidi potus abuſu l. 2. fin.* ſecundum quam Aqua Calida eſt aqua calefacta, Calda, quæ in naturali conditione permanet, nullo caſu curàve calidior aut frigidior reddita. Sed illam planè inſuper habemus; quoniam Calidæ & Caldæ nomina promiſcuè apud optimos reperiri authores, unicuique ſatis notum, qui in illis non planè eſt hoſpes.

§. 10. De Synonymia ſeu æquipollentibus vocabulis, ſecundum varia linguarum idiomata, plura congerere operæ pretium non videtur. Illud autem in uſus noſtros notamus, apud probatos etiam authores pro Calido quandoque poni Tepidum. Exempla ſuppeditant, qui hiſtoriam potus calidi exponunt, infra nominandi, quæ nil attinet tranſcribere. In Medicorum Scriptis invenio *Pene ferventem*, nonnunquam dictam: ita Ludovicus Nonnius *de re cibariâ IV. 7. Et ne quis,* ait, *diutius hac de re dubitet, apud Iaponios fide digni Scriptores aſſerunt, moris eſſe ferventem pene aquam potare.* Imò *Ferventem*, dum paulò pòſt, ait: *Quos ventriculi angor dolorve ex frigidis ſuccis vel flatibus affligit, ſummum auxilium ex calidæ imò ferventis aquæ potu conſequi, certum eſt.* Ita Bernhardus Svvalbe, ventriculum loquentem introducens, *querel. ventr.* ait: *Quod fervidâ me potent aquâ Iaponij, conſuetudo fert.*

§. 11. De nominibus plura non addimus, ſed quid determinatè per Potum calidum intelligamus, hiſce definimus. Eſt ſc. *Potus calidus, ſubſtantia liquida & fluida, qualis ſitis extinguendæ gratiâ aſſumitur, modo intenſius modo remiſſius excalefacta ad hauſtū, priſcis & modernis nonnullis populis voluptatis gratiâ probatum, Medicis autem, ob inſignes uſus, minimè damnandum.*

§. 12. *Hauſtum* hic appello, illam ex animalium genere actionem, quâ mediantibus œſophagi membranis & muſculis liquor ori ingeſtus ad ventriculum admittitur.

§. 13.

§. 13. *Subſtantia liquida & fluida* quid ſit, ex terminis ultrò liquet quantum ad inſtitutum. * Determinamus autem quod talis ſit, *qualis ſitis gratia à nobis aſſumitur*; hoc enim ad naturam potus omnino requiritur: unde multa excluduntur, quæ aliàs huc pertinere videri poſſent. *Quamvis enim uni, quod miremur, (ut* rectè ait Bruyerinus *de re cibaria L. XVI. c. 2.) omnium animantium homini, quanquam prudentiæ rationisq; capaciſſimo, ſine ſiti bibere uſu veniat, omnia tamen quæ potus nomine veniunt, facultatem ſitim extinguendi habent ſitientibus.* Lubet rem exemplo & verbis Marſilii Cagnati Medici doctiſſimi, illuſtrare. *Eos*, inquit *variarum obſerv l. V. c. 24. qui inauditum dixerunt, Theriacam potari, crediderim non ignoraſſe, illam liquore aliquo ſolvi poſſe, ſed intellexiſſe eam non eſſe potui idoneam, quia foret ad ſitim extinguendam inepta, quod eſt proprium potionis munus ſive finis, ut ciborum eſt, famem eximere. Nam cibus non eſt, quicquid manditur & devoratur niſi famem auferre poſſit: Nam vitrum, terra, à nonnullis devorantur, quæ famem non tollunt; ſic potio non eſt quicquid liquidum ore aſſumitur, & in ventrem demittitur, niſi idem ſitim depellat.*

§. 14. *Excalefactam* porrò dicimus, i. e. calore ita alteratam, ut verè calida, non tepida tantùm, dici poſſit. Et quamvis ille calor ſuos etiam agnoſcat gradus; non tamen alios, quam qui ſunt, ad bonam, ut Medici loquuntur, tolerantiam: ut adeò Potus non nimis caleat & amburat gutturem, ſi cum Plauto ita loqui licet. De modo calefaciendi, vaſis, loco, & ita de thermopoliis & ſupellectile thermopotica & ſimilibus apud veteres, nihil addimus, quia ad inſtitutum noſtrum non pertinent. Quibus autem modis hodie aquam calefaciamus, notius eſt, quàm ut debeat exponi.

§. 15. Cum ex hiſce quid Calidi potus nomine veniat, conſtet, prima forſan cogitatio nonnullorum fuerit, ſupervacuam de illo diſquiſitionem, cum conſenſu gentium frigida laudetur, tantumque non faſtidio eſſe talem proluſionem, cum quæcunque afferantur, de omnibus dubitandum ſit rationibus, quum experientia uſum non confirmet. Sed quam omnia hæc cum rei veritate pugnent, facile nobis eſſet omnium oculis ſubjicere, ſi, quam oppidò quidem pauci, ſed doctiſſimi viri, Potus calidi hiſtoriam exactius

Digitized by Google

diligentiusque conſignarunt, vellemus repetere: Verum memores, nos verſari in foro Medico, aliena non agimus, ſed contenti, virorum illorum, quibus hoc debemus fundamentum honorificam feciſſe mentionem, ad eos, qui plura hac de re ſcire cupiunt, remittimus.

§. 16. Primus, ut ipſe aſſerit, & magno conatu rem aggreſſus eſt, Antonius Perſius, Tractatu Italico Idiomate conſcripto, à multis deſiderato, nec hactenus, quantum ſcio, in latinum ſermonem translato, cujus Inſcriptio: *Del Bever caldo, coſtumato da gli antichi Romani, Trattato d' Antonio Perſio, nel qual ſi pruova con l' hiſtoria & eſſempio de gli Antichi & con la ragione, che il bere fatto caldo al fuoco e di maggior giovemento & forſe anche guſto, che non e il freddo hoggidi uſato, Al Papa Clemente Ottavo.* Primus dixi, ut ipſe aſſerit; Nos enim non latet, ante ipſum Joh. Guilhelmum Stuckium *Antiquitatum convivalium l. III. c. 6.* quæ ex antiquitate haberi poſſunt, pleraque congeſſiſſe. Elegantiſſimè autem juxta & perſpicuè rem expoſuit Johannes Freinshemius, inſigne illud quondam Academiæ Argentoratenſis ornamentum, Diſſertatiunculâ de Calidæ Potu, ad Johannem Küefferum, Medicum Clariſſimum, Illuſtrium etiam Perſonarum encomiis celebratiſſimum, quem quæ de Potu calido modò ventilamus, animo volviſſe, ex Epiſtolâ modò ſed nunquam ſatis laudati Domini Freinshemii ad ipſum, intelligo: ubi inter cætera, *ſcis, nuper cum Tecum cœnarem, de calida potu nonnihil jactum.* Quædam præterea ad rei hiſtoriam pertinentia habent, Ludovicus Nonnius Medicus Antverpianus in Veterum monumentis non leviter verſatus, *de re cibar. l. IV. c. 5.* Bartholomæus Paſchettus Veronenſis, *de Deſtillatione l. II c. 4.* ubi & amplius promiſit, ſe ex profeſſo diſputaturum contra Medicum quendam Romanum, nixum probare, neque veteres olim, neque hac ætate Indiarum populos paſſim uti Potu calido; an verò ſuſceperit illum laborem, hactenus nos latet. Præterea Claudius Deodatus *Panth. hygiaſt. L. II. c. 14* Franciſcus Bacon Baro de Verulamio *hiſtor. vit. & mort.* & nuper doctiſſimus Medicus, Johannes Antonides van der Linden, *Select. Med. X. §. 158.* nec non D. Chriſtianus Langius *tr. de therm. Carolin. c. 5.*

§. 16.

§. 17. Ex allegatis modò authoribus graviſſimis, Supponimus I. Abunde confutatam eſſe Hieronymi Mercurialis, *ſtudiis alias & lectione veterum exerciti, & cui in plerisq; nec cura perveſtigandi moris antiqui nec explicandi judicium defuit,* (ut notant Dn. Freinsheim. l. c. & Dn. Conring. *introd. in univerſ. Medic.*) quam habet *Var. Lect. l. 1. c. 8.* ſententiam ſc. Nunquam inter convivia veteres aquam calefactam bibiſſe, vel ſaltem, Tantum aliquâ valetudine affectos toto convivio, vel illos qui vomere cupiebant, ut copioſius & majori fame ingurgitarent, ante cœnam aquæ calidæ potu uſos eſſe. quam tamen eandem foverunt, Nicolaus Maſinius Cæſenas. *L. de gelidi potus abuſu.* Horatius Augenius *Tom. III. Epiſt. medic. l. X. Epiſt. ult.* Andreas Baccius *de Vinorum hiſtoria L. IV.* Joſephus Caſtalio *de frigida & calida potu*, aliique (monente Nonnio) non ſpernendi auctores.

§. 18. Supponimus II. (quod eruditè apud eos ex antiquitate demonſtratum animadvertes) non Græcos tantùm, ſed & Romanos, *quorum nomine* (verba ſunt Ampliſſimi Dni. Freinshemii) *non iſti tantum populi intelliguntur, ſed & plurimi alii, quos latè per majorem mundi partem coloniis aut Imperio complexi ſunt*, Potum calidum non in uſu tantùm, ſed & in deliciis habuiſſe; familiarem fuiſſe non ægris ſolùm, ſed & ſanis; tum Viris Principibus in ſumptuoſis conviviis, tum populo paſſim; Illos non tantùm admiſcuiſſe aquam calidam vino, ſed & aquam calidam bibiſſe; Adeò captum fuiſſe amore calidi potus populum Romanum, ut molliciem iſtam & luxum, penes quos erat poteſtas, pœnis coërcere, neceſſe haberent; denique illum morem duraſſe apud Romanos per aliquot ſecula.

§. 19. Supponimus III. ex iis, quæ illi annotarunt, quod etiam noſtris temporibus populi nonnulli non ſolũ non abhorreant à potu calidæ, ſed & quotidie bibendi deſiderium illo expleant; adductis in exemplum Chinenſibus, Japonenſibus: quod planè confirmant, qui de gentium iſtarum moribus, victu, & ſimil bus magno numero ſcripſerunt; ex noſtris magni nominis Medicus Nicolaus Tulpius *l. IV. obſerv. medic. cap. ult.* ab illis qui cum ſummo imperio illic præfuerunt, communicata poſteritati tradens: quibus adderes meritò, quæ de potu Coffi ſeu Coava Ægyptiorum & Arabum

Arabum habet Proſper. Alpinus *l. de Medicina Ægyptiorum & de Plantis Ægyptiorum*, quæ nuper illuſtravit D. Laurentius Straus, *Diſputat. de Coffi*. Huicque Suppoſito hoc ſubnectimus, quod ſui illæ gentes moris adeò tenaces ſint, ut apud exteras quoque gentes illum minimè mutent: quâ de re vide inprimis Anton. Perſium, *l. cit. c. 5.* & Bartholomæum Paſchettum *l. 2. de deſt. c. 4.*

§. 20. Supponimus IV. Inter eas quoque gentes, quibus communiter Potus frigidus arridet, laudatum fuiſſe potum calidæ. Ubi omittendum minimè videtur Experimentum, quod in ſe ipſo fecit Antonius Perſius, ab ipſo Proœmii loco ſui Tractatus expoſitum, quod ex authore non facile obvio, latino (quoniam paucis forſan probaretur, ſi Italicè adſcriberem) ſermone propono. *Quia,* inquit, *non ita pridem experimento adductus ſum in illam opinionem, Potum calidæ, i. e. Potum igne calefactum, eſſe utiliorem, & magis ad palatum, quàm ſit frigidus, cui communiter noſtrâ ætate adſuevimus, non omittam narrare occaſionem, quâ ad illud fuerim excitatus. Cum Patavij an. 1590. autumno eſſem valdè afflictus à defluxione in genam dextram, inde ſuper modum tumefactam, unâ cum gingivâ, concurrente inſigni materiæ copiâ, neceſſaria fuit ex conſilio Excellentiſſimi Domini Hieronymi Fabricij ab Aquapendente, ſectio quæ & adminiſtrata. Durante malo, ex præcepto ipſius, adhibitis continuò gargariſmis ex vino præcalido, & quaſi bulliente, cum portione diamori admiſta, fieri non potuit, quin prædicti illius vini aliquantulum per gulam deſcenderet, & ex tantillo, quod hâc ratione bibi, maximam percepi delectationem. Hoc mihi in mentem revocavit, quod antea legeram in Martiali de aqua calda, de potu caldo, & locum iſtum Taciti, ubi enarrat mortem Britannici, & alia quædam ſcriptorum loca, quæ eiusmodi potus faciunt mentionem. Inde cœpi firmiter credere, quod Veteres Romani biberint calidam, & inde ſenſerint delectationem & utilitatem; quâ in ſententiâ ſubinde magis ſum confirmatus, dum conferrem diverſa loca ſcriptorum antiquorum. Anno ſequenti menſe Auguſto, cum me contuliſſem Venetias, ut per aliquot dies tanquam in ſeceſſu agerem, invitatus fui, à Domino Iohanne Iacobo Tognali, amico meo perdilecto propter morum & ingenij elegantias. Accidit igitur, cum ad menſam varios miſceremus ſermones, & in ſpecie de Potu, egoq; præferrem potui frigido Calidum, ut ille conſtitueret rei facere experimentum, addens, quod ſi illo tempore, quo aër æſtuabat calore, potus calidæ*

Calidæ deprehenderetur, adeò delectabilis, ut ego quidem illum deprædicarem, ſe mihi fidem habiturum, & judicaturum abſolutè, quod omni tempore potus frigidus minus laudari debeat, quã calidus. Imperavis propterea ſuis, ut in vaſe terreo vitreato, optimè calefacerent aquam, ad ebullitionem. Illâ igitur oblatá in menſâ, uterq; poculum vini illo temperavimus, illudq; hauſimus non ſine delectatione. ita ut continuato hoc bibendi modo, per aliquot dies utriq; ſatisfactum, & ille modus magis approbatus, dum eodem tempore legeremus obſervationem Flandri cuiusdam, hominis noſtrâ ætate rerum antiquarum peritiſſimi. Placuit admodum, quod notatus ille vir eruditus eandem mecum foveret opinionem, Veteres calidam bibiſſe, quamvis non videretur experimentum feciſſe, cum neque laudaret adeò, neque vituperaret talem potum, quali hactenus ego Bononiæ continuò utor, cum commodo & delectatione. Et eſt qui mihi ſe ſocium præbet, quiq; cum antea abhorreret à calido, nunc abhorret à frigido potu, &c. Ex foro Medico liceat nonnulla ſubjicere. De quibusdam Nobilibus Genuenſibus Bartholomæus Paſchettus *l. 2. de deſt. c. 4* ait: *Increbuit opinio apud quosdam Nobiles Genuenſes alicuius Medici conſilio & authoritate concepta, aquam igne excalefactam, tum jeiuno ſtomacho cum Oxymelite ſumptam, tum in prandio & cœna vino mixtam, valde conferre ad ſanitatem tuendam; quin imò hominibus certis quibusdam morbis obnoxiis apprimè utilem, ad eos præcavendos, ut etiam illis qui per intervalla deſtillationibus externis & internis vexantur, maximo uſui eſſe affirmant* De Græcâ quâdam fœminâ recenſet idem: *Ego,* inquit, *novi mulierem Græcam, nomine Iuſtinianam, quæ ſummâ cum voluptate aquam calidam & in prandio & in cœnâ bibebat.* Ioh. Bruyerinus *de re cibar. l. XVI. c. 15.* hæc habet: *Novimus unum atque alterum, qui æſtate mediâ, nedum aliis temporibus anni, perpetuò aquam pene ferventem vino adjicerent, eosque ad ſummam perveniſſe ſenectutem, exploratum habeo, cuius rei teſtes ſplendidiſſimos in agro Lugdunenſi, itemq; apud Vivarienſes* Narbonenſis Galliæ *populos, habeo: Vnum non erit alienum nominare nobilitatis primariæ à Sancto Chamundo.* Franciſcus Bacon de Verulamio in hiſtoria vitæ & mortis, ait: *Miramur, quomodo illud calidum bibere (quod apud antiquos in uſu fuit) in deſuetudinem abierit. Novimus certè Medicum admodum celebrem, qui in prandio & cœnâ juſculum & præcalidum avidè ingerere ſolebat, & paulò poſt optare, ut regeſtum eſſet: neque enim mihi juſculo opus eſt,*

(inquit) *ſed calido tantùm.* Et Bernhardus Svvalbe (*querel. ventr.*) tum ad veterum tum ad hodiernos mores reſpiciens. *Malè* (inquit) *etiam calida in luxum verſa.* Quoniam ſufficere hæc videntur, plura addere ſuperſedeo.

§. 21. Supponimus V. ſupereſſe antiqui moris umbras quasdam inter varias gentes, quas liceat ampliſſimi Dni. Freinshemii verbis proponere. *Certè* (inquit ille) *juſcula illa, quæ cum cibum capimus, ferculorum pompam ferè ducunt, quantum diſtant à potu? Sanè videor mihi videre quædam in illis antiqui moris veſtigia, præſertim cum Hiſpani ipſum adhuc vocabulum Caldo ſervent: quin & Galli nomen juſculis iſtis à potando (potages), noſtrates à ſorbendo* (Suppen) *dedere. Itaque nunc etiam per totam propè Germaniam aliàs cerevifia aliàs vinum calida bibuntur crebrius atque copioſius quàm ut medicamenti cauſa ſumi credas.*

§. 22. Suppoſitis his, mirari ſubit, mortalibus quod tantoperè aliquando placuit, tantoperè diſplicere poſſe; & à quibus nos abhorremus, aliis blandâ quâdam voluptate guſtandi ſenſum afficere. Sed ſicut non eadem omnibus honeſta atque turpia, ita non eadem ſuavia aut jucunda, aut eadem omnibus voluptas. Arrident plerisque dulcia, adſunt tamen qui ab illis abhorrent & malunt acida aut amara; imò tractu temporis & mutatione illius, multa ſanitatis aut voluptatis gratiâ uſurpata, abolita fuerunt.

§. 23. Ut ex multis pauca afferamus; adeò arriſit olim balneorum uſus populo Romano, ut nihil tritius Romæ, & in Italia tota thermarum nomine haberetur, adeò ut Imperatorum etiam curam ad ſe traheret. Hiſtoria nos docet, Perſonas Illuſtres, imò ipſos Imperatores publicè cum amicis lautos, ſæpius in die lautos & in balneis cœnitaſſe; fuiſſe qui ſepties in diebus æſtivis, bis in hyemalibus lavarentur & plerosque quibus otium erat, bis in die lautos colligit Cardanus *de tuenda ſanitate* ex Galeni M. *M. c. 2.* Imò in balneis medicatis ob delicias lavabantur, teſte Galeno *de Compoſ. med. ſecundum locos c. 1.* Atque etiam hodie apud Mahumetanos balneum inter voluptates numeratur, Europæis tamen vix balneum niſi quod curandæ valetudinis inſtrumentum, hodie notum. Maduerunt etiam quotidie Perſæ atque Ægyptii, tum viri tum fœminæ, unguentis; erant unguenta materia luxus; *Unctio-*

nis

nis voluptas à Romanis etiam inter laudatiſſima atq; etiam honeſtiſſima vitæ bona admiſſa eſt, teſte Plinio, *l. XIII. N. H. c. 1. & ſeq.* & Galeno paſſim. Hodie tamen quotocuique in partem quotidianæ curæ recipitur unctio? Nonne pluribus vix admittitur, valetudinis cauſa ſi imperetur?

§. 24. Ita etiam ſtudioſi ſemper rerum novarum mortales, quæ majores improbaſſent, imò monſtris ſimilia, & quorum niſi in paucis nec utilitas ulla, nec voluptas, recipiunt, probant, aliisque præferunt. Exemplo ſit Nicotiana, cuius accenſæ fumum paſſim nunc in Europâ, adducto ſpiritu attrahunt, ut per os nares-ve emittant; aut pulverem (Itali præcipuè) naribus attrahunt, frequentius ſanè, quam à Medicis probari credas. Nonne, ut alia taceam, odoris teterrimi nidor, deteſtabilis ſapor & ipſa pharmaci violentia, majores noſtros darent in ſtuporem, ſi viverent, tantò magis, quod ipſi ταβακοκαπνόφιλοι nullam ſingularem poſſunt allegare delectationis ſpeciem, aut exponere inſtituti rationem, niſi quod ſubinde ex illis audias, ſe imitari alios, imò quod voluntas noluit, ſocietatem effeciſſe, ſicut id accidit Abſtemiis dictis, qui cum antea vini nec odorem nec ſaporem ferre poſſent, illud deinde aviddiſſimè ingerunt, & de poculorum magnitudine cum aliis certant. Limites quos nobis deſignavimus non permittunt, ut plura enarremus.

§. 25. Conſuetudo utramque in ſimilibus paginam abſolvere, traditur. Huic quantum in corpus noſtrum liceat, eleganter & copiosè expoſuit Galenus *libr. de Conſuetudine*, ſecutus Hippocratem & Eraſiſtratum, qui multum illi tribuerunt. Nobis quantum ad inſtitutum noſtrum pertinet, liceat rimari ſpecialius, quomodo conſuetudo ea, quæ faſtidio paulò ante aſpernabamur, reddat ſenſim familiaria & amica, ut tandem numerentur in deliciis?

§. 26. Exiſtimamus illa, de quibus nobis ſermo, primum vel cogente neceſſitate appeti, vel ſpe commodi, vel quia novitate placent, trahi in uſum. Neceſſitas omnia experiri cogit, ſpes avida ad quodvis impellit mortales, & multa quotidie ſolà novitate placere, querela eſt eorum, quibus de meliori luto finxit præcordia Titan. Semel & iterum, ringente quamvis naturâ, deinde

 iterum

iterum iterumque admiſſa vel recepta, jam minus turbant, modò non turbant amplius, denique conſuetudine placent; quoniam ſc. quæ ita in uſum admittuntur, ſenſim immutant corporis diſpoſitiones, ob quas ingrata nobis erant talia, & novas imprimunt; ſecundum quas illa nobis fiunt magis analoga: *Quum id quod offertur transmutetur, neceſſe eſt, & id, cui offertur, transmutare.* ſecundum Hippocr. *d. loc. in hom. c.* 53.

§. 27. Lucem hiſce affundant, quæ habet Galenus *l. de conſuetudine c.* 2. quibus cum meliora dicere non poſſimus, neque me pudere debet iſta huc tranſcribere, nec ne pigere, & hic & apud ipſum illa legere. Poſtquam eo loco, varia eorum quæ appetuntur tum ab hominibus, tum ab animalibus brutis, recenſuiſſet, & quomodo certa animalia certis inhient generibus, addit; *Eſt igitur hîc ipſa conſuetudo ſignum naturalis cuiuſdam proprietatis: Sed quod ea nonnunquam etiam ſit illius cauſa, hoc argumento facilè comprehendi poterit, quod aliquibus rerum quarundam uſus inter initia ingratus eſt, & non ſine noxâ, quibus ſi paulatim adſueverint, iam ea illis neque amplius ingrata neque noxia redduntur. Huiusce autem rei ea cauſa eſt: Quemadmodum enim unumquodq; eorum, quod vel comeditur, vel bibitur, & alteratur ſecundum qualitatem, ita & ipſum quoq; id à quo alteratur quoquo modo afficit. Huiusce verò rei, humorum differentia, qui ex his, quæ à nobis eduntur, gigni contingit, tibi poteſt eſſe argumentum, ex aliis enim atræ bilis non parum gignitur, ex aliis pituita vel flavæ bilis plurimum: quemadmodum ex aliis ſanguis purus: ut proinde neceſſe ſit, in ipſis quoq; particulis, pro illius ſanguinis, à quo illæ aluntur, diversá ratione, aliquam ſuboriri diverſitatem. Sed quod ſimilitudo quædam fiat, inter ea quæ alunt, & ea quæ aluntur, tum ſemina, tum plantæ evidenti argumento eſſe poſſunt, quæ ita ſæpiſſimè transmutantur ac alterantur, ut quæ alicubi terrarum noxia plurimum eſſe ſoleant, alio translata, non modò innocua reddita ſint, ſed etiam conferentia. De his verò plurima relata ſunt in eorum commentariis, qui de agricultura & de plantis ſcripſerunt, quæ ſunt experientiâ ab ipſis percepta. Qui etiam animalium hiſtorias literis mandaverunt, multa de permutatione, quæ ex regione eſt, tradiderunt. Sic itaq; cum non modo id, quod corpus alit, ab eo quod alitur, alteratur, ſed ipſum quoq; exiguá quádam alteratione afficit, quæ quantumlibet exigua ſit, temporis tamen ſucceſſione, neceſſe eſt, ut ſubinde*

aucta

aucta ea fiat, quæ notatu digna ſit, ut tandem ea, quæ ex longa conſuetudine parata ſunt, vim ferè naturalis proprietatis induerint. Confer quæ habet Comm. *Aph. II. 50.*

§. 27. His ita perſpectis, operæ pretium videtur calidi Potus natales paucis attingere. Videtur Ludovico Nonnio *de re cibar. IV. 6.* probabile, *Id genus Potus ab aliquibus excogitatum fuiſſe, quos frigidior nempe offenderat, aut quibus imbecillis erat ſtomachus, quem mox in luxum & pravos uſus vertit ætas, ita ut deliciarum magna pars in calido potu eſſet, adeò ut apud Græcos & Romanos Cauponæ eſſent inſtituta, ut calida publicè veniret.* Eandem conjecturam ante Nonnium propoſuerat Johannes Bruyerinus eruditiſſimo *de re cibaria* ſcripto *l. XVI. c. 15. Fortè,* inquit, *nobis erit confitendum in Medicorum Scholâ, id genus potus primum excogitatum valetudinis quorundam gratiâ, quos frigora mordebant; At quæ à neceſſariis orta primum, cuncta venère ad nimium.*

§. 28. Sed altius principium huius moris repetamus. Primos mortales calidâ uſos fuiſſe nemini forſan in mentem venerit. At editis primis & deinceps omnibus in lucem infantibus provida rerum natura, ubera matrum, quæ propterea Favorinus Philoſophus apud Gellium *l. XII. c. 1. fontem ſanctiſſimum corporis, Generis humani educatorem nominat,* deſtinavit, quæ potum, lac nimirum actu calidum ſuppeditant; Sed cum paucos poſt menſes, modò lac ſufficiens non generetur, modò ob conceptum novum corrumpatur, aut deficiat, morbi modò Totius, modò mammarum in ſpecie aut papillarum vitia, utut lacte turgidas ad lactationem inutiles reddant mammas, dubio procul, quos inter primos numeres, parentibus, alius quærendus fuit liquor, quo ſitim infantibus reſtinguerent. In illâ autem ipsâ infantia Mortales cernentes paſſim agnos, vitulos, hædos matrum uberibus hærentes, agnoviſſe exemplum depellendæ ſitis, & ita lac alienum primò calidum, deinde & frigidum bibere didiciſſe, difficile non eſt concipere. Hodie equidem pueris ſine lacte materno educandis, nec non ablactandis calefaciunt nonnulli aquam, donec paulatim frigidæ adſueſcant; Inter ipſam autem orbis infantiam mortales non ſtatim de ratione calefaciendi aquam vel lac cogitaſſe, propterea ſine mora ad frigidam decurſum eſſe, probabiliter concludimus, quoniam ad

reſtinguendam ſitim nihil præſentius, & Naturâ ipsâ invitante, nihil magis obvium; ad calefaciendum autem aquam, apparatus & ingenium deſiderabatur.

§. 29. Non ergò ſtamus à parte eorum, qui ita exiſtimant, procul dubio frigus innumeras creaſſe moleſtias, urſiſſe tamen ſitim, ut ingurgitarent frigidam: urſiſſe, inquam, ſitim, quæ non rarò coëgit homines haurire, à quibus aliàs natura humana abhorret; ita non delectu, ſed durâ cogente neceſſitate frigidam hauſiſſe cum moleſtiâ, donec conſuetudine introductâ dedidicerint naturam, ſicut hodieque appetitu per conſuetudinem edomito, frigidam ſectantur, quibus in infantia, potus calidus ſitim reſtinxit: quare enim durior hæc videatur ſententia, inferius indicamus

§. 30. Non una tamen poſtea neceſſitas, imò caſus effecit, ut calida quoque adultis biberetur. Exempla præbent, qui puteos fodientes, dum frigidam ſitis leniendæ gratiâ quærerent, inciderunt in calidam, qui longinquum per æſtuoſas & egenas aquarum regiones iter ſuſcipientes, aquas ſecum ferebant, quas calore ſolis incaleſcere neceſſe erat; qui loca, ubi magna calidarum aquarum ſponte ſuâ ſcaturientium, frigidorum nulla copia, incolunt; alii.

§. 31. Hinc qui facto periculo nihil inde incommodi ſenſere, laudâſſe id Potûs genus; alios id commodi inde ſperantes, ut adſueti aquæ calidæ, illâ ſi fortuna omnem aliam negaret, minus læderentur; alios ſtudio, ut fit, novitatis, conſuetudinem bibendi calidam introduxiſſe; alios denique exemplo horum ſecuros, morem eum retinuiſſe, ſagaciſſimorum Doctorum eſt conjectura.

§. 32. Poſtquam autem Medicina excoli, proptereaq; magis in honore eſſe cœpit, ex cujus fundamentis eruitur, Frigidum multis corporis partibus inimicum eſſe, & multos procreare morbos, ſicut illud Hippocrates nervosè repetit, *Aphor. V.* 18. *Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ. & V.* 17. *Frigidum convulſiones, tetanos, nigrores & rigores febriles adfert*; imò concluditur, cum ſtomachus crudis & frigidis cibis offendatur, fieri vix poſſe, ut ſaltem illis, qui debilem & languidum habent ſtomachum, aqua frigida, aut potus quicunque frigidus adeò ſit conveniens, confirmatus illius fuit uſus.

§. 33. Atq;

§. 33. Atque ita hoc ordine Ludovici Nonnii & Joh. Bruyerini conjecturas omninò admittimus. Sed addimus, forſan minimè falli, qui exiſtimant, uſum illius deinde magis magisque laudatum eſſe, *ob placita Medicorum nonnullorum novitate quâdam ſeſe commendantium*, ut loqui ut Plinius *XIV. 22.* *aut novis opinionibus gaudentium, & à communibus opinionibus libenter recedentium*; quibus verbis idem quod Plinius dicit Paſchettus loc. c. Ita conſuetudo in ſocietatem naturæ paulatim recepta, apud quosdam denique prævaluit.

§. 34. Cum porrò Potum calidum adeò non repugnare naturæ noſtræ videamus, ut à gentibus receptum fuiſſe, & quibusdam etiamnum probari certum ſit, quæſtio oritur magni momenti: *Num hic vel ille, quem communiter laudant, Naturæ noſtræ magis ſit conveniens?* Et ne forſan arbitreris, generaliter nimis formatam eſſe quæſtionem, cum non facilè occurrat, qui præferat ob commoda quotidiana, frigido calidum Potum, etiamſi ut tolerabilis forſan ille concedatur: En tibi Antonii Perſii, calidum omninò præferentis verba, *ſub fin. c. 5. Anzi vo dir queſto, con pace di Plinio & di chi altrimente ſente, che ſia piu naturale il ber caldo al huomo, che non e il freddo.* Imò dixerim pace Plinii (qui *l. XXVIII. c. 4. hiſt. nat.* his ſuam ſententiam propoſuit verbis; *Notandum nullum aliud animal calidos potus ſequi, ideóq; non eſſe naturales*) & eorùm qui aliter ſentiunt, quod Potus calidus homini magis ſit naturalis, quàm frigidus. Eandemque ſententiam plures amplexos ex ſuperioribus conſtat, & in genere, ait Paſchettus, *l. c.* alii hunc, alii illum præferunt ad valetudinem conſervandam.

§. 35. Expendamus ergò partium ſibi contradicentium, quibus ducuntur, rationes: Et I. quidem, potiores eorum, qui Potum calidum damnant, rationes ſunt ſequentes:

§. 36. I. Aqua, *inquiunt*, quam in potum animalibus deſtinavit provida rerum natura, ex ſe & ſuâ naturâ eſt frigida, talem animalibus cunctis offert; Non temerè E. illud ipſum, quod principium frigoris deprehenditur, animantibus ad ſitim extinguendam digito quaſi monſtrâſſe, veroſimile eſt, ſed quoniã & quatenus frigidum hanc ad rem accommodatiſſimum. Quod ſi ergò aquam calefaciamus, videri, vim inferri naturæ, ordinem eius turbari,

bari, illudque damnari, in quod digitum quaſi ipſa intendit.

§. 37. II. Recepta in Doctorum Scholis ſitis definitio propoſita ab Ariſtotele *l. 2. de anim. c. 3.* Ἐπιθυμία ψυχρῦ ϗ ὑγρῦ, Appetitus frigidi & humidi, non niſi frigidum videtur admittere potum.

§. 38. III. Non niſi qui ſitim ſedare poteſt, *inquiunt,* Potus videtur probandus: Calidus autem ſitim non extinguit.

§. 39. IV. Potus, *inquiunt*, præter cæteras, quas præſtat utilitates, debet quoque excitare appetitum animalem, quem tantum abeſt, ut calidæ potus excitet, ut potius eum proſternat.

§. 40. V. Peripatetici ita inferunt; Sitis oritur à calido & ſicco; neceſſe igitur eſt, ut hi ſtimuli per contraria, nimirum per frigidum & humidum frangantur. Probari ergò, ut naturalis Potus alius non potuerit, niſi qui frigidus & humidus.

§. 41. VI. Amplius ita inferunt nonnulli: Appetitus uterque animalis, quem vocant, inditus à Naturâ, ut id appetatur & ingeratur, ex quo, quod continuo ex ſubſtantia noſtra diffluit reſarciri queat, quod non eſt aliud, quàm ex quo conſtamus Calidum, Humidum, Frigidum, Siccum; Cum itaque per famem appetatur Calidum atque Siccum, reliquum eſt, ut per ſitim appetatur frigidum atque humidum.

§. 42. VII Cum ob allegatas rationes Frigidus naturalis omnino ſit, ſi Potus calidus naturalis quoque concederetur, ſequeretur unum eundemque appetitum eſſe contrariorum, quod abſurdum.

§. 43. VIII. Praxis, *ajunt*, Medica teſtatur, quod aqua calida hauſta, vitiet potius coctionem, quàm quod eam adjuvet, etiã cauſa ſit, ut fluctuet in ventre cibus, inflet ventrem, extenuet corpus, & exhalante calore nativo ventriculi facultatem diſſolvat, nec non propter fluctuationem in ventriculo, minus clauſo, ipſius ſuperiori orificio, fumi adſcendant, multorum malorum cauſæ.

§ 44. IX. Minori potus frigidi quantitate, & quæ Naturæ noſtræ conveniens, ſitim extinguimus, cum calidus, ſi tandem id præſtat, non niſi eà quantitate, quæ noxia eſt, id præſtet.

§. 45. X. Quam parum conveniens calidus potus, teſtantur quærelæ & ſymptomata navigantium, aliorumq; quibus frigidus denegatur.

§. 45. XI.

§. 46. XI. Non experientia tantum quotidiana, ſed & conſenſus populorum favere huic ſententiæ videtur, qui tantùm non omnes, non calidis, ſed frigidis potulentis, relevare ſitim didicere, ac in his, non in illis delectationem quærunt.

§. 47. XII. Plinius loco ſupra citato, ideò quod nulla animalia potus calidos ſequantur, omnia frigidos, illos non-naturales, hos naturales, judicavit.

§. 48. XIII. Eſt quoque qui allegat auctoritatem Juriſconſultorum, quibus Naturale eſt, quod Natura omnia animalia docuit; ut ſubſumtio fiat de potu frigido.

§. 49. XIV. Hieronymus Mercurialis l. c. nullum in victu calidi potus uſum eſſe aut fuiſſe arbitratur, quoniam nec Plinius, nec Galenus, huius potus mentionem fecerint, niſi in ægrotis.

§. 50. XV. Denique magno numero afferri poſſunt. tum Philoſophorum tum Medicorum auctoritates, quibus confirmatur frigidi potus prærogativa, omnibus notæ, quibus ipſi.

§. 51. Alterius ſententiæ patroni ſequentibus pugnant rationum momentis.

§. 52. I. Si nobis ob oculos ponamus, quæ ex potu naturâ ſuâ, vel arte gelido, accidiſſe memoriæ proditum eſt, ſymptomata atque diſcrimina, tum inſanam illam gulæ, quam in frigidis potibus prodigioſa ingenia commenta ſunt, libidinem, repræſentatam nobis variisque exemplis illuſtratam ab illis, qui de gelidi potus abuſu ſcripſerunt, non poteſt non nobis fieri ſuſpectus gelidæ potus. Centena occurrent exempla, quæ clarè docent, multum inſidiarum ſanitati & vitæ noſtræ ab eiuſmodi potu ſtrui, imò permultos immaturam illo ſibi mortem acciviſſe: *De potu autem calido, quod magnum aliquod damnum intulerit, nil quicquam annotatum reperiri*, ſcribit Perſius, c. 12. quo pertinent exempla ſupra allegata.

§. 53. II. Cum omnis aqua corrigatur, & ſalubrior evadat decoctione, vel ſi ſolum optimè excalefiat ad ignem, vel à ſole, ulterioremque perfectionem, puritatem, dulcedinem, levitatemque acquirat, ſatius videtur coquere aquam, quam crudam ingerere, & calidam haurire, quia illa magis talis.

§. 54. III. Conſenſu plerorumque Philoſophorum & Me-

 dicorum

dicorum, Calidum noſtræ naturæ amicum, frigidum inimicum: quorum ſententiam nobis propoſuit Hippocrates, *Aph. V. Frigidum inimicum oſsibus, dentibus, nervis, cerebro, dorſali medullæ: calidum verò amicum. V. 18. Frigidum convulſiones, tetanos, nigrores & rigores febriles adfert. V. 17. Frigidum ulceribus mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, nigrorem inducit, rigores febriles, convulſiones & tetanos creat. V. 20. Herpetibus exedentibus, ſedi, pudendo, utero, veſicæ, his omnibus calidum amicum & decretorium, frigidum inimicum & interimens.* Et quem Hippocratem Latinum vocant, Celſus *l. 9. Frigus inimicum eſt Seni, tenui, vulneri, præcordiis, inteſtinis, veſicæ, auribus, coxis, ſcapulis, naturalibus, oſsibus, dentibus, nervis, vulvæ, cerebro, &c.* Videtur ergò, frigidum potum fugiendum, calidum eligendum eſſe.

§. 55. IV. Cum inter Medicos conveniat, finem famis & ſitis & conſequenter aſſumptorum eſſe, conſervare & reſtaurare calidum nativum & humidum radicale cum ſubſtantia partium, & alias extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, quæ conſervantur per ſimilia conſervari, non per contraria, vel hinc perſpici autumant, calidi potus neceſſitatem, frigidique noxam.

§. 56. V. Receptum eſt dicere, quando ſiti macerati ſumus, nos exſiccatos eſſe; ſicut ſitibunda, v. g. apud Ovid. Latona, quæ

Sidereo ſiccata ſitim collegerat æſtu

Ipſa, inquit, *parabam.*

—— *relevare ſitim, caret os humore loquentis,*

& fauces arent. *Metamorph. VI. f. 2. v. 42.*

Hinc inferunt, quod humiditatem ſiccitas, non calor frigiditatem poſtulet. Quando enim ſitis cauſa etiam calor redundans aſſignatur, non alio hoc fieri nomine, quàm quod humidum ad calidum proportionem ſuam non ſervet, & ſubeunte ſiccitate calori humidum deficiat. Ita enim *cum ſiccitas omnem naturalem abſorbet humorem, ora viſceraq; penitus uruntur*, ut loquitur Curtius VII. 5.

§. 57. VI. Cum fundamentum illud lubrico ſtet talo, quod nimirum fames ſit appetitus calidi & ſicci, ruere quoque, ajunt, quod ſuperſtruitur; ſitim ergò eſſe appetitum frigidi & humidi. Illud probant, quod multi cibi non ſine delectatione aſſumantur, famem quoque ſedent, frigidi & humidi ut fructus æſtivi & autumnales,

Digitized by Google

monales, olera, acetaria, piſces; non potentiâ ſolùm, ſed & actu humidi, brodia nimirum carnium, panatellæ liquidiuſculæ, ova tremula, lac, lacticinia, conſumpta, &c.

§. 58. VII. Allegant & hoc incommodum, quod vini omnis gratia pereat ex frigore, aut ſaltem hôc quaſi obruatur, ut quæ gratia vini, dignoſci non poſſit. Exemplis rem illuſtrat Bruyerinus *de re cib. XVI. 16. Sunt in Gallia plurimis in tractibus cellæ vinariæ inferis proximæ, cavatæ, in quibus per æſtus vehementes tantus algor ineſt, ut qui tunc eas ſubeunt, rigeant æquè acriter, ac ſi in aëre gelidiſſimo verſarentur: proinde quæ in his recondita ſunt vina, ſi ut hauſta fuerint, protinus bibantur, gulam ventriculumq; frigore confligant immodico. Memini non mihi tantum, ſed aliis non paucis aulicis Laoduni, gulam penè tam algido vino fuiſſe emortuam: quare cautiores aliquot horas aeri prius exponendas lagenas curabant. Sunt, item, apud Aurelios, loca eiuſmodi ſubterranea: quoniam illic negotiatio vinaria præcipuè viget, & ſic facilè ementes deludi poſſunt, obſtupeſcente ſcil. hebetatoq; palato algore vini.*

§. 59. Nos nec hanc nec illam abſolutè admittimus, aut damnamus ſententiam, ſed mediam quandam amplectimur, ducti rationibus, quas ipſa nobis ſubminiſtrat Natura.

§. 60. Cum a. quæſtio comparationẽ contineat, ne ambiguitas ex vario eius modo, morã nobis injiciat, paulò preſſius formamus ſtatũ controverſiæ. Vel enim quæritur, an in regimine ſanitatis, extremè frigido (ſive arte ſive natura talis ſit, perinde eſt) qui quidẽ aſſumi poteſt, præferendus ſit extremè calidus, ſub eadem conditione? vel an moderatè frigido, moderatè calidus palmam præripiat? vel an extremè frigido, moderatè calidus magis ſit probandus? vel denique, an moderatè frigido, calidus intensè ſit præferendus?

§. 61. Primam quæſtionem quod attinet, ad eam reſpondemus ex Hippocr. *Aph. II. 51. Semel multum & repentè vel vacuare, vel replere, vel calefacere, aut refrigerare, aut alio quovis modo corpus movere, periculoſum. Omne ſiquidem nimium naturæ inimicum, paulatim verò quod fit, tutò fit, cum aliàs, tum maximè, cum ab uno ad aliud facienda mutatio.* Utrumque ergò hâc notatum quæſtione potum tanquam exceſſivum damnamus, & propterea neutrum propriè altero convenientiorem poſſumus pronunciare: quod ſi autem quærere per-

Digitized by Google

gas, uter tandem minus malus? Reſpondemus, obſervatum non eſſe, in tam præſens vitam diſcrimen adduxiſſe potum calidum, ſicut de valdè gelido obſervatum eſt, multis atroces dentium dolores, intolerabiles inteſtinorum cruciatus, alia mala acuta, immaturam multis, nonnullis è veſtigio mortem acciviſſe. *Quod potus calidiſſimus, tale quid effecerit, nemo eſt* (inquit Ant. Perſ. loc. cit.) *qui dicat, nemo qui credat.* Et quis miretur? Vita ſanè noſtra conſiſtit in calido & humido, τὸ θερμὸν ὠφέλιμον, calidum amicum, inquit Hipp. *Aph. V.* 18. Et ex mente Ariſtotelis, τὸ θερμὸν καὶ ὑγρὸν σώζουσιν. ὁ γὰρ θάνατος τούτων φθορά. Calida & humida conſervant: nam horum corruptio mors. Adeoque qualitas illa nobis analoga & amica: Exceſſus interim eius nocere poteſt. Eleganter Hippocr. *d. loc. in homine c.* 53. *Et calidâ lavari, donec quidem corpus ſuperat eius exhibitionem, florere corpus facit. Quum verò ſuperatum fuerit, gracile corpus facit. Et convivari ſimiliter ut lavari, facit. hæc enim donec ſuperantur, florere faciunt, ubi verò ſuperaverint & alvi ſeceſſus & varia vitia inducunt.*

Pultes (ſanè) *ferventes faciunt corrumpere dentes.*

Intemperies non poteſt non ſequi. *Calidum frequentiore uſu, hæc invehit incommoda: Carnis effeminationem, nervorum incontinentiam, mentis torporem, profuſiones ſanguinis, animi deliquia, ad quæ quidem mors: Aph. V. 16.*

§. 62. Verum enimverò, quæ de extremo frigore vitando diximus, & pridem dixerunt artis proceres, ſuſpecta videtur reddere ipſa experientia in calidioribus regionibus, ubi ſenſus & voluptas ad potum frigidiſſimum homines invitat, quos deinde, ut fit, magno numero imitantur alii. *Videas enim Gallos, Italos, Hiſpanos, quibus familiariſſima eſt nivem & glaciem bibendi conſuetudo, imitari Germanos, Bohemos, Ungaros, Polonos, & Moravos,* ut notat Deodat. *Panth. hygiaſt. l.* 2. *c.* 14. imò, nec tamen vel hos vel illos inde lædi, ſubinde amore illius capi magis magisque; nec voluptatem tantũ, ſed & commodũ inde percipere, dixerit aliquis. Non ſemel certè tum in Italiâ, tum in Galliâ Narbonenſi, ex ore non tantùm plebis, ſed & Medicorum Practicorum audivi, ab eo tempore, quo potus ingenio & arte refrigeratus receptus eſt, minus frequenter illic locorũ eſſe febres ardentes, malignas, pleuritides, peripneumonias, &c.

Siculos

Siculos memorant ante introductum nivis uſum, cum in aëre degant ferventiſſimo, ac tepidiſſimis utantur aquis, quotannis, æſtivis menſibus, maximo numero febrium peſtilentium tyrannide è medio ſublatos. Ducebant autem hi morbi ex primarum obſtructione hepatis venarum, ob pravam calidi potus concoctionem factam, originem: quod malum ferocire deſiit, ex quo primum nivis uſum in potu admiſere, annis circiter abhinc 20. Diligenti namq; obſervatione exploratum eſt, in urbe Meſſana *quotannis mille numero pauciores, quàm ante uſum nivis homines interire: quo fit, ut vel è fæce plebis pauperrimus quisq; opifex in annonâ procurandâ, non panem modo & vinum, ſed & nivem numeret.* Balthaſ. Piſanelli *l.d. de eſculent. & potulent. facultatibus.*

§. 63. Sed produco Tibi, de cujus diuturnâ & multiplici experientiâ dubitare nemo poteſt, ipſum Galenum, qui noxas quæ captum forſan tuum fugiunt, notat *lib. de bon. & mal. ſucc. Tametſi,* (inquit ille) *ipſa ſtatim nix* (par autem eſt ratio cujuslibet gelidiſſimi potus) *noxâ ſenſibili non videatur juvenum corporibus officere, increſcente tamen, temporis proceſſu, occultè paulatimq; noxâ, vergente nempè ætate, articuli his nerviq; ac viſcera morbis corripiuntur vix aut nunquam ſanandis: ac veriſimile certè fit, quod unicuiq; ea potiſſimum corporis pars afficiatur, quæ naturâ omnium maximè infirma fuerit;* quibus conſona etiam alibi habet, hîc non repetenda, calculo tantum non omnium Medicorum confirmata.

§. *64.* Antonius Perſius *p. 62.* b. de fide eorum, quæ Balthaſar Piſanelli refert, planè dubitat, & ſi malignarum febrium minus daretur, hoc benigniori aëris conſtitutioni potius adſcribendum cenſet. Quod Italos aliàs, Gallorumq; magnam partẽ attinet, inter ipſos potus glacie refrigeratus forſan utilitate indigitatâ non caret: quia pleriq; eo admodum moderatè utuntur, uno vel altero poculo, de cætero aquâ gelidâ potum ordinarium refrigeraſſe contenti; pars verò, quæ genio indulget, ſubinde pœnitere illud magni emit. Illi poſtquam toto die æſtuoſum hauſerunt aërem, quo viſcera præter Naturam calefiunt, ſiccantur & torrentur quaſi, ex ratione ſanè refrigerans auxilium experiuntur optimum; qui verò gulæ dediti, reſpuunt potum, qui non adferat ei illam ex frigore intenſiſſimo voluptatem, certo certius in varia morborum ſe præcipitant genera, dum continuo ejus uſu viſcera non poſſunt

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

non lædi. Paſſim populi pœnas dedere, antequam moderatè hoc uti didicere. Unicum effatu dignum, quod Anton. Perſ. *l. c.* refert, ſubjungam: Cum Venetiis populo licentia data eſſet, nivem & glaciem in urbem importandi, ut æſtate illâ potus refrigeraretur, vix cœpit eo uti, cum alius corriperetur febre, alius quereretur de dolore ventris, alius de alio, de variis varii; adeò ut Magiſtratus Venetus edicto proſcriberet eius uſum, ut nemini liceret in foro glaciem vendere. Hodiè moderatè eo utuntur.

§. 65. Adeoque quod attinet, quæ jactant commoda illa, equidem in totũ ea non negamus, certi tamen ſumus, ſicut in curatione morborum, perpetuò nobis illud obſervandum, *Ita cures, ut non noceas*; ita in præſervatione, perpetuò nobis operam dandam, ne dum vel hunc vel illum excludimus morbum, deteriorem invitemus.

§. 66. De illis quidem dubitari poſſet, qui adſueti potui arte & ingenio ſummè refrigerato, illo utuntur, an & in his damnandus? cum Hippocr. dicat. *Aph. II.* 50. quod *Conſueta longo tempore etiamſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta ſoleant eſſe?* Improbamus autem etiam in his. Quamvis enim quoad omnes ſex res non-naturales, ita ferè evenire videamus, attamen eo tacitè Hippocrates videtur velle intelligere comparationis terminos, modo, quem *Aphor. II.* 38. expreſſit, quando ait: *Paulo peior, ſed ſuavior cibus & potus, meliori quidem ſed ingrato eſt præferendus.* Abſit enim ut dicamus, Hippocratem nullam conſuetudinem mutandam eſſe, docuiſſe. *Si vi & per accidens contracta ſit conſuetudo prava, mutanda eſt, præſertim in juvenibus & robuſtis. In ſenibus ubi videmus certum malum, quod indies augetur, mutare poſſumus, ſed paulatim*; dicimus cum doctiſſimo Hollerio *comm. in aph. cit.*

§. 67. Voluptas nos movere minimè debet: quid enim empta dolore voluptas?

§. 68. Cum autem II. quæritur, An moderatè frigido, quem *non adeò frigidum* vocat Fumanellus *de regim. ſen. cap.* 14. calidus palmam præripiat? Memores quid per calidum potum hactenus intelligamus, aſſerimus, ſanis convenientiorem eſſe potum moderatè frigidum, qualem provida rerum natura, humanæ indigentiæ, ſubinde & hinc inde ſuppeditat per pluvias, fontes,

flumina,

ſlumina, puteos &c. Quamvis enim hyeme puteorum profundorum aqua multum remittat à ſuo frigore, (unde vulgò æſtate quidem frigidam, hyeme autem calidam aquam ſuppeditare dictitant) attamen frigida, non calida eſt dicenda aqua, quam paſſim hyeme hauriunt ex puteis.

§. *69*. Talem potum, æſtate quidem magis, hyeme minus, ſemper tamen moderatè frigidum, ad ſanitatem & voluptatem præ omni alio facere, uſu & ratione probari poteſt.

§. 70. Uſu quidem quia major pars mortalium delectatur, & frigido uſa potu ſalubriter degit: ſicut & voluptas & commodum cauſæ videntur fuiſſe, quare partim corporis gaudiis dediti homines, partim de ſanitate ſoliciti, ſubinde quærerent frigidiorem, donec exceſſu tandem peccatum fuit.

§. 71. Rationes quod attinet, huc pertinent ſupra §.*36*. & ſeq. propoſitæ pro potu frigido, hic amplius expendendæ. Primam §.*36*. facimus noſtram. Nulla enim hic lex aut ratio obſtat, quo minus naturam ſequamur. ***Natura neceſſitate quâdam impulſa, eam quam in potu frigidæ perſentiſcimus, voluptatem indidit, quo ad uſum eius nos incitaret, haud ſecus ac in complexu venereo, cui idcircò voluptatis ſtimulos addidit, ut nos ad ſpeciei conſervationem procurandam incitaret; ex quo conficitur, frigidæ potum, cum tantá hominem voluptate perfundat, omnium animantium generi, humano præſertim, cumprimis eſſe neceſſarium***, inquit Balthaſar Piſanelli, Medicus Italus, latinitate donatus ab Arnoldo Freytagio ***lib. de eſculentorum potulentorumq; facultatibus, ſub finem. Imò quo natnra DEIq; providentia nos invitat, ab eo facilè recedendum non eſt.*** ut loquitur Marſil. Cagnat. in ſimili cauſa ***lib. de continentia ad Gregorium XIV. Pontificem Max. p. m. 123.***

§. 72. Ad ſecundam rationem §. 37. quædam videntur addenda. Quam Ariſtoteles *l. c.* proponit definitionem, nonnullis quidem premitur difficultatibus; ſi tamen dextrè accipiatur, firmo ſtat talo. Mens Philoſophi non eſt, ſitim eſſe appetitum ejus, quod & frigidum & humidum eſt: quomodo enim brodia carnium puerperis, ægrotantibus, &c. Lac nutricum puerulis, calidæ adſuetis, actu calida ſitim profligarent? Sed hoc innuit Philoſophus, ſitim

ſitim eſſe appetitum modò frigidi, modò humidi, modò utriusque, prout modò à caliditate, modò à ſiccitate, modò ab utraque qualitate ſimul oritur: ſicut Philoſophum optimè explicat Venerandus Facultatis noſtræ Senior, Dn. Melchior Sebizius, Medicinæ Doctor & Profeſſor, Comes Palatinus Cæſareus, Capituli Thomani Præpoſitus, ac Reipubl. Argentoratenſis Archiater, Præceptor & Fautor noſter multis nominibus colendus, *diſp. de fam. & ſiti.* In eundem ſenſum Bruyerinus *de re cibar. l.16. c. 2. Accidere ſitim quandoq, humoris inopiâ, alias verò caloris abundantiâ in confeſſo eſt, quæ ſi ambæ coëant, hoc eſt, fervor & ariditas, ſitis concitatur vehemens.* Sed ais, cum hæc ita ſe habeant, nullum ergò ad probandum id, ad quod probandum (nempe quod frigidum naturaliter appetatur) adducebatur illa definitio, habet robur? Reſpondemus, cum extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, frequentiſſimam & maximè naturalem ſitis cauſam eſſe & caliditatem & ſiccitatem ſimul, quæ junctæ qualitates, tantum non in omnibus hominibus poſt infantiam, quaſi ex neceſſitate, ſitis cauſam conſtituunt, hinc non immeritò concludi, maximè naturaliter appeti frigidum.

§. 73. Ad tertium argumentum §. 38. notamus, fruſtra illud à nonnullis in medium afferri, ut inferant, improbandum omnem calidæ uſum. Jamdum enim conſtat, cum ſitis quandoq; à ſiccitate oriatur, ſedari illam humidis ſive calida ſint, ſive frigida. Interim cum cauſa ſitis ex neceſſitate in hominibus ſecundum naturam ſe habentibus, gliſcens ſit caliditas & ſiccitas, humiditate & frigiditate contemperanda, utique potum naturaliſſimum aſſerimus frigidum. Sanè ſicut in utero ſine aëris liberi appulſu, fœtus ſatis commodè vivit, quamprimum verò in lucem editus eſt, aere libero opus habet, ita in infante & deinde magis magisque, quamvis ad tempus lacte famem & ſitim ſedarit, cum alimenta quadantenus ſolida aſſumſit, calore, & ut hodie loquuntur, fermentatione redditâ auctiore, plures emergunt ſitis cauſæ, quæ, quia à calore, non promptius ſatisfieri illis poteſt quàm frigidis.

§. 74. Ad quartam rationem §. 39. animadvertimus. Tametſi ex principalibus quas potus homini conferat utilitatibus, minimè ſit, appetitum animalem pro nutricatu corporis excitare; attamen

tamen ad illum continuandum, imò excitandum ſuo modo facere, facile concedere, qui ſecum reputat, in pluribus non durare appetitum, niſi interveniat ſubinde potus, imò ſitibundos, utut alimenti egenos cibum capere non poſſe, niſi biberint prius. Quo ſenſu Plato *de Republ.* citante Stuckio *loc. cit.* *Aquâ calidâ inteſtina refrigerari & appetentiam excitari* dicat, videant ejus interpretes: Nos hoc experientiam redarguere, exploratum habemus. Illius ergò etiam acceſſionis nomine, frigido prærogativa relinquitur.

§. 75. Quo ſenſu quinto loco §. 40. accipiendum, quando Peripatetici dicunt, ſitim oriri à Calido & ſicco (quod in quinta ratione allatum fuit) & quam vim illud argumentum contineat ex iis, quæ ad Argumentum ſecundum diximus, liquet.

§. 76. Sextum argum. §. 41. prima fronte quidem elumbe videtur; quia ad id, quod præſupponitur, nimirum per famem appeti calida & ſicca, ultrò inſtantia occurrit: quis enim negarit appeti quoque calida & humida, imò frigida & humida alimenta? Sed nervo forſan non omni caret argumentum, ſi de mente noſtra redditus fueris certior. Si percenſeas, quæ pleriſque animalibus & humano generi cedunt in eſcam, quædam actu calida & ſicca, quædam potentia talia notabis, multa calidiora, pleraque minus humida, quam ad temperamentum hominis requiritur, minus humida, quàm ut elixationi analoga & modificata in ventriculo coctio perficiatur, minus humida quàm ut ὄχημα τῆς τροφῆς inde ſuppetat: Caliditate ergò & ſiccitate à cibis prævalente, deſiderium frigidi & humidi propter neceſſitatem emergit; Ita ergò, ſiquidem ad juſtam temperiem deduci debeat, futurum partibus alimentum, ſiquidem coctio ritè peragi & expeditè provehi, & alimentum commodè diſtribui debeat, potus frigidus & humidus requiritur.

§. 77. Septimum etiam argum. § 42. noſtrum facimus, modò ex mente noſtrâ accipias. Scil. non animantia bruta tantùm, ſed & major pars hominum, (& quid prohibet dicere omnes homines exceptis lactentibus?) ubi nec neceſſitas urget, nec opinio prævalet, nec ſpes commodi medici aliud jubet, ex naturalibus cauſis appetunt, quærunt, bibunt frigidam. Naturâ E. ſibi relictâ, & ita planè naturaliter, Potus calidus non deſideratur: quia

D impoſſi-

impoſſibile eſt, cauſas easdem eodem modo agentes contrarios effectus edere.

§. 78. Quod § 43. octavo argumento adſeritur, non inferiorum ſubſelliorum Medici annotarunt, Claudius Deodatus *Panth. hyg. l. 2. c. 14.* Bruyerinus *de re cibar. l. 16. c. 17.* Paſchett. *de deſtillat. l. 2. c. 4.* Chriſtophorus à Vega &c. Sequitur ultrò ex Medicorum ſuppoſitis, & exploratâ experientiæ fide eſt confirmatum.

§. 79. Ad nonum Argumentum §. 44. notamus, tametſi uni à quâ ſitis, qualitati contemperandæ ſatisfaciat potus calidus, nimirum ſiccitati, attamen à caliditate manet ſtimulus, qui frigidum potum expoſtulat: adeoque qui calidum bibunt, ſubinde ingerunt, & tamen, quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ: Nimiam autem aquarum molem, non poſſe non gravia inferre ſymptomata, ex iis eſt, de quibus nemo, cui œconomia corporis perſpecta eſt, dubitat.

§. 80. Ad decimum §. 45. tametſi excipere quis poſſet incommoda, quibus navigantes tentantur, eſſe ex corruptione potius aquæ, quàm frigiditatis in ea defectu, quod equidem non negaverim, attamen communis omnium querela eſt, quod rarò potûs ad palatum, in quo frigus requirunt, & ad ſitim extinguendam apti, participes fieri poſſint.

§. 81. Ad undecimum argumentum §. 46. *συγκατάθεσιν* illam populorum repetere, inſtituti noſtri ratio non permittit. Conſtat de ea ſatis. Plerorumque mentem expreſſiſſe videtur *Martialis* illo verſu, quem habet *l. VI. Epigr.* 84.

Et potet calidam, qui mihi laudat, aquam!

82. Quando Plinius *l. c.* cujus auctoritas duodecimo loco §. 47. adſertur, ait, *Nulla animalia potus calidos ſequi, omnia frigidos, propterea illos Non-naturales, hos naturales eſſe*; primò aſſenſum non videtur mereri. Dantur ſanè aquæ calidæ & dulces, quibus bruta utuntur. ut notat Paſchett. *de deſt. l. 2. c. 4. Ferinæ* Wildbad *vocantur noſtræ thermæ,* inquit M. Johannes Deucerus verbi Divini apud Thermiferinos miniſter, *quod rictu oris à fero apro inveſtigatæ, ſicut Carolinæ in Bohemia, quibus ſicuti & Acidulis Ægranis ego per multos annos induſtrius obſervator (abſit invidia dicto) interfui, à cervo*

invent

Digitized by Google

inventa ſunt. Locus enim ferinarum noſtrarum thermarum, feris omnis generis abundans, inter duos montes, ſive ex omni parte ſylvis, montibus, collibus, cultis agris, hortis, pratis, rivulis, fontibus, arboribus frugiferis, mirâ voluptate oculos mentemq; perfundentibus, comprehenditur, in quo apri, capreoli, cervi, qui olim progreſſi ad locum & fontem aquæ hujus deſiderio confluebant frequentes, & prodebant theſaurum harum aquarum. tr. de thermis ferinis Enzianus. c. 2. *De Thermis, quæ vulgo* Das Pfefer-bad tradit Johannes Kolweck. Man gibt auch für/ daß zwo Enten/ zu ſampt dem warmen Badwaſſer zu Pfefers vorzeiten herüber gewallt/und ſo bald dieſelben auß dem Bad-waſſer kommen/ ſollen ſie des Todtes plötzlich verreckt ſeyn. *Tract.* Von des überauß heylſamen/ weitberühmten/ſelbs warmen unſer lieben Frauen Pfefers-Bad. *p.m.* 89. Ranulas nutrire easdem thermas ibidem traditur. Imò, quod amplius, etiam vegetabilium naturam non reſpuere aquam calidam, addimus. Agri aquâ calidâ rigabantur olim, ut notat Dn. Freinsheim. *c.* 2. *p.* 51. quem morem diſcimus etiam ex Ariſtotele *Problem. ſect.* 20. *n.* 29. Ubi quæritur: *Quam ob cauſam, quæ aquâ frigidâ irrigamus, dulciora, quàm quæ calidâ, evadunt? In aquâ ferventiſſimâ fontis Aponitani vivunt plantæ, & nunc etiam aluntur, ut ego vidi. Nam extraxi aliquando plantas ex illis rivulis virentes, ac pingues cum floribus & ſeminibus, ex quo colligere poſſumus aquam illam facere non ad corruptionem, ſed ad nutritionem plantarum atque ad ſanitatem humani corporis.* Verba ſunt Fallopii *tr. de thermalibus aquis* §. 17. quæ tamen noſtra facere poſſumus, quis & nos non ſine admiratione vidimus.

§. 83. Deinde poſito, nullatenus tamen conceſſo, quod omnia alia animalia frigidos potus ſequantur, non tamen inde ſequitur, Potum calidum eſſe contra naturam. *Homines ratione duce invenerunt calidum potum, non ſecus ac cibos coquere, quos tamen bruta crudos devorant: an ideò contra naturam eſt? Non credo hoc dicturum quempiam.* Ludov. Nonnius *de re cibar. l. IV. c. 6.*

§. 84. Interim ſtatuimus vim quandam ineſſe argumento Plinii, ad probandum, Potum frigidum magis naturalem eſſe, quàm eſt calidus, quâ de re eſt quæſtio.

§. 85. Quod § 48. attinet Juriſconſultorum placitum illud *Naturale eſſe, quod Natura omnia animalia docuit*, ſiquidem in rigore accipias, non poſſe ſub eo ſubſumtionem fieri de potu frigido ultrò liquet, tum ex dictis modò §. 82. tum ex iis, quæ ſupra §. 17. 18. 19. 20. ſuppoſuimus. Favet tamen iſti ſententiæ, Potum frigidum magis eſſe naturalem.

§. 86. Ad Mercurialis argum. §. 49. quo ille quidem abutitur ad probandum, *potum calidum apud veteres in uſu non fuiſſe*, notamus, de Galeni mente poſſe difficultatem moveri *ex libr. de conſuetudine c. 1.* Ubi enarrat hiſtoriam *Ariſtotelis cuiuſdam Mitylenæi, qui cum morbo teneretur, cui poterat frigidæ potio eſſe remedio, Medicis ipſi conſulentibus, ut illam biberet, ſummopere repugnabat, eo inprimis, quod eam nunquam bibiſſet, affirmabatq; ſe pro comperto habere, convulſione corripi debere, ſimul atq; eam guſtaſſet, idq; vidiſſe in altero, qui erat ipſi & corporis habitu & temperie ſimilis potui calido ſemper adſuetus.* Hinc nonnulli eruunt, Galenum mentionem feciſſe calidi in victu potus, nec illam damnaſſe. Verumenimverò ſi omnes percenſeas l. c. circumſtantias, apparet, morbum in cauſa fuiſſe, cur iſti potioni adſueſcerent. Ait enim Galenus, Ariſtotelem, cui alter ſimilis, gracilem fuiſſe, & os ventriculi habuiſſe frigidiſſimum, ita ut ex quavis vel levi refrigeratione, ſingultu ſtatim corriperetur. Et cum de Plinii ſententiâ ex ſuperioribus conſtet, retinemus illam ſententiam; Nec Plinium nec Galenum uſpiam niſi in ægrotis, potum calidum probaſſe.

§. 87. Ad argumentum ultimum non eſt, ut quicquam addamus:

§. 88. Cum itaque rationes pro potu moderatè frigido hactenus fecerimus noſtras, quid ad eas, quæ pro calido adferuntur, reponendum ſit, nunc expendamus.

§. 89. Prima §. 52. propoſita non ferit, quam amplectimur hactenus, ſententiam. Quæ enim *l. c.* notantur exempla & nocumenta, ad frigidi potus abuſum, non ad eum, quem probamus uſum, ſpectant. Nocumenta enim iſta vel à potu ſive naturâ ſive arte exceſſivè gelido dimanarunt, vel à potu moderatè quidem frigido qualem laudamus, ſed illegitimo modo, loco & tempore adhibito. De illo planè nobis ſermo non eſt: hunc autem quod attinet,

attinet, ſicut alias optimarum rerum maximus eſt abuſus, qui tamen uſui non derogat, ita pari ratione hic res ſe habet: quod exemplis illuſtraremus, niſi paginarum anguſtia nos juberet ſermonem *συγκίπτειν*.

§. 90. Decoctæ II. ſuas laudes, quæ enarrantur §. 53. ſuam prærogativam lubenter concedimus, ubi quæ potui deſtinatur aqua, vel ex profundis puteis hauritur, magisque ſi ex fluvio, ſtagno, palude, cyſternis petitur, aut neceſſitas nivales aut glaciales obtrudit; At ubi copia eſt aquæ fontanæ, à natura optimè elaboratæ, ita puræ, nitidæ, ſuavis, dulcis, levis, ut quid ex decoctione accedere debeat, nominare nequeas, decoctionem inſuper habemus. Quod autem aqua decocta dum calet, purior, nitidior, ſuavior, dulcior & levior ſit, quàm refrigerata, eſt quod negamus.

§. 91. Ad III §. 54 reſpondemus, *Calidum qualitate & quantitate moderatum amicum eſſe, non ſolum partibus in aphoriſmis Hippocratis notatis*, (verba ſunt doctiſſimi Hollerii *ad V. 18. aphoriſm.*) *ſed etiam toti corpori.* Ut autem qualitate & quantitate moderatum calidum conſervetur in noſtro corpore, ſicut in cordis officinà aer frigidior pro contemperatione requiritur, & ut partibus præcipuè exanguibus benè ſit, non frigidus intensè aer ambiens requiritur, Ita & ventriculi calor, nec non ſpiritales partes, à moderatè frigido potu, moderationem quandam accipiunt. Falſum eſt, quod calidum ita amicum naturæ noſtræ, ut quocunque modo, loco, tempore admitti debeat; aut excludantur, quæ pro attemperatione illius faciunt, inter quæ potus frigidus. unde reſponſio quoq; patet ad Argum. IV.

§. 92. Ad argumentum V. §. 56. reponimus, ſi ex eiusmodi formulis aliquid colligere liceret, notaremus hic, Ardere etiam pro Sitire uſurpari: ſed talia nullam vim probandi habent. Rem quod attinet, ex ſuperioribus liquet, quod & ſiccitas & calor ſitis ſint cauſæ, frequentior cauſa ſit calor cum ſiccitate.

§. 93. Ad VI. §. 57. concedimus illam Ariſtotelis Definitionem Famis lubrico ſtare talo, ſiquidem ad verba rem detorquere velimus, ſi ex mente Ariſtotelis verba accipiamus, firmiori ſtare certi. Quando Ariſtoteles *l. 2. de Anima c. 3.* aſſerit: *Famem eſſe* ἐπιθυμίαν ἢ ὄρεξιν θερμοῦ καὶ ξηροῦ, *Appetitum calidi & ſicci*, Per τὸ ſiccum non notat, quod humido opponitur abſolutè: hoc enim

hanc ipſam ob cauſam, quod ſucci nihil in ſe continet, nutrire nequit, ſed humidum, quod tamen ſolidius & conſiſtentiæ firmioris, quod reſpectivè, ſi comparatio inſtituatur cum potulentis ſeu humidis fluxilibus, quæ ſuo termino non continentur, ſiccum dicitur. Et quamvis humida ſatis dentur alimenta, attamen pleraq; dicto modo ſicca ſunt, & ſolidioris conſiſtentiæ.

94. Ultimum argumentum §.58. theſin noſtram non ferit, quæ moderatè frigidum potum laudat, cum illa ſummè refrigerati vini vitium enarret. Moderatum & gratum frigus in vino conſenſu quodam commendatur, qué exprimunt Salernitani notis verſiculis.

Si bona vina cupis, quinque hæc laudantur in illis,
Fortia, formoſa, & fragrantia, frigida, friſca.

§. 95. Et hiſce quidem abſolviſſe nobis videmur quæſtionem preſſius formatam, an moderatè calidus potus, moderatè frigido palmam præripiat.

§. 96. Si amplius quæritur §.60. An ſummè frigido, moderatè calidus magis ſit probandus, non dubitamus amplecti affirmativam. Cum enim illius noxæ ſint inevitabiles, hujus uſus tolerabilis, quamvis incommodo non careat, ut ex ſuperioribus conſtat, ſiquidem optio fieri deberet, hunc præ illo admitteremus.

§. 97. Cum denique l. c. quæſtio movetur: An moderatè frigido, quo paſſim utuntur mortales, calidus admodum potus ſit præferendus, quod ſupra citatus Antonius Perſius ſibi vult, hoc negamus, non novis ducti rationibus, ſed ea, quæ potum moderatè frigidum moderatè calido præferendum eſſe evicerunt, tanto magis probare, illum ſummè calido palmam præripere, certi.

§. 98. Poſt hæc meritò expendimus, quem nobis hodie uſum præſtare poſſit calida? Reſpondemus. Quem olim Romanis (miſſis illis, qui eum in gratiam inſanientis gulæ expetebant,) aliiſque ſanitatis ſtudioſis præſtitit, dum aquam calidam ad remittendam cum vinorum tum aquarum vehementiorem frigiditatem admiſcebant, ut ſc. à frigore minus læderentur, eundem & nobis hodie præſtare poſſet. Sanè ſi antiquus mos noſtris obſervaretur in victu, tempore brumæ, ſi in conviviis inter cæteros adeſſet, ut olim

olim *Calidæ miniſter*, noxarum à frigido potu & querelarum apud Medicos minus eſſet.

§. 99. Eſt noſtris, qui hyeme in hypocauſtis degunt, in more poſitum ad fornacem remittere frigus nimium potus, quam ad rem morâ opus eſt. Sed ſæpiſſimè in menſâ ſitis urget, in æſtuoſo præſertim conclavi, ut moræ impatiens gula, frigidiſſimum ingerat potum, unde certa noxa. Et quoties non licet expectare illam attemperationem in conviviis, ubi vario ingenio ſitis provocatur, inſtat Sympoſiarcha, movent illecebræ, urgent artes, cogit neceſſitas?

§. 100. Quæ ex ejusmodi gelido potu dimanant incommoda & valetudinis detrimenta, evitarunt veteres calidæ admiſtione. Sumant inde noſtri valetudinis ſtudioſi, emendationem, regulam, præceptum.

§. 101. Quæri denique hic poſſet: An qui adeò hodiernâ luce, magno plurimorum malo, apud Europæos invaluit Nicotianæ, quâ per artificiales tubos hauriunt, uſus, das Tabackrincken, ut noſtrates loquuntur, ſit ſpecies potus calidi? Reſpondemus; ad potum minimè pertinere; Nulla enim in uſu Nicotianæ vulgatiſſimo, ſubſtantia liquida & fluida, qualis ſitis extinguendæ gratiâ aſſumitur, hauritur; quod ad potum omninò neceſſarium eſt: hauritur enim non niſi fumus. Et, ſi aliquis in uſu Nicotianæ ſpeciem quandam Potus fingere, aut aliquid potui analogum in eo monſtrare vellet, aſſerendo, Frequentiori Nicotianæ uſu, glandulas ſalivales exſiccari, ita ut non poſſint amplius ſpongiarum inſtar in ſe continere humores, ſed ſinant eos diffluere, aut, quod magis probabile, ſollicitatis fumo penetrantiſſimo & acri, aquarum in ore fontibus, ita ut copioſius illæ in eo confluant, illas ſalivæ nomine per gulam delabi, & potus munere quadantenus fungi; concederemus equidem, non planè nullam ſubeſſe analogiam. Verum præcipuum quod præſupponitur, nimirum, confluentes in ore aquas, per gulam delabi; merito negaremus. Experientia enim abundè docet, ταβακοκαπνοφίλους ſtudioſè ſibi cavere à deglutiendâ ſalivâ Nicotianæ fumo imprægnatâ, eosdem illas in os confluentes aquas ſubinde expuere, minus etiam peritos

dum

dum ſalivam Nicotianæ qualitatibus ex fumo imbutam, incauti per gulam admittunt, ſubverſiones ventriculi graves, nauſeas moleſtas, vomitus violentos incurrere. Et ex his quidem perſpicuum eſt, inter uſum illum Nicotianæ, qui in attractione fumi conſiſtit, & Potum calidum, analogiam tantam non eſſe, ut ille ad hunc referri debeat.

Tantum.

Soli DEO Gloria.

Sphalmata quædam typographica ſic corrige. Pag. 3. l. 14. dele *ut.* p. 4. l 20. pro 7. ſcribe *6.* p. 12. l. 10. pro *ne*, lege Te. p. 13. l. 28. poſt *ipſa* lege *orbis.* p. 16. l. penult. lege *querelæ.* p. 18. l. 9, poſt *interimens* lege V. 22.

Pereximio atque Nobiliſſimo Dno. Reſpondenti.

PRÆSES.

ORnas, Amice, jam cathedram denuò,
Dum de calente potione diſſeris
Non frigidè, menteſque vertis omnium
In Te, Tui, quod inclyto debes Patri,
Ad mentionem nominis qui confluunt
Hanc publicam. Calido precor voto, calida
Foveat ſtudia benignus ignis Numinis.

ΘΕΡΜΟΠΟΣΙΑΣ

ſeu

Tractationis Medicæ

De

POTV CALIDO

Diſſertatio altera.

Prooœmium.

NOn nullum, nec adeò rarum, nec ſine voluptate, in victu quondam mortalium, fuiſſe Potum calidæ, tametſi temporum mutatione, maximam partem, in deſuetudinem abierit, præter cætera, ſuperiori Diſſertatione de Potu calido in genere, probavimus: Medicis autem, ob inſignes quos præſtet uſus, minimè ſpernendum eſſe, argumentum ſequentis diſſertationis conſtituimus.

Quamvis autem Artis Medicæ Doctores pauca nobis, ſi conferas cum iis, quæ de minoris momenti rebus, fundere ſuſtinuerunt, verba feciſſe videantur, plura tamen nos indicata ſaltem ab ipſis notavimus Potus calidi commoda, quæ nunc amicæ φιλιάτρων ventilationi ſubjicere, nobis eſt animus. De via vel methodo non eſt ut operosè ſimus ſoliciti: operæ quidem eſſet pretium, in quibus morbis commendari Potus calidus me-

reatur, perveſtigaturum, illas morborum percurrere claſſes, quas ſecundum corporis diviſionem in tres Ventres, quam non tam unanimis Medicorum doctrina, quam ipſa Natura conſtituiſſe videtur, in foro Medico numerant. Verum cum inter Græcos Aëtius Amidenus, Medicus clariſſimus, & inter Arabicos Saracenos Medicos, judicio virorum doctiſſimorum primum locum tenens Abuali Ibn Tſina, vulgo ſed perperam (ut oſtendit vir doctiſſimus Vopiſcus Fortunatus Plembius, Scholio in notati auctoris præfationem) dictus Avicenna, pleraque ſint complexi, conſtituimus, adſcripto prius utriusque textu, illius potiſſimum per quæſtiones ſequi filum, pleraque contuliſſe, cætera addidiſſe contenti.

Aëtii doctrina, interprete Johanne Baptiſta Montano, hæc eſt, *l. 4. de re med. c. 176.*

Convenit aqua tepida ad (1.) Comitialem morbum, (2.) ad capitis dolorem, (3.) ad eroſas gingivas, aut purulentas aut ſanguinolentas, (4.) ad dentes perforatos, (5.) fauces ulceratas, (6.) lippitudines, (7.) tonſillarum morbos, (8.) deſtillationes, (9.) melancholiam à flava bile productam, (10.) ad cholericum affectum, (11.) ad vomitum bilis. (12.) In febre utiliter potatur. Exhibetur etiam tepida, ubi frigidæ uſu aliqua ratio interdixerit, ſicut (13.) ſepti transverſi ulcus, (14.) ſanguinis ſcreatus, (15.) ruptura coſtas

ſtas ſuccingentis membranæ. (16) Congruit inſuper calida, ubi evacuationem paramus: aut (17) ubi diffundere, liquare, molleſcere, concoquere oporteat. Tot enim ſummatim calida poteſt, ſi bibatur. Singulatim verò (18) mucos ducit, (19) refectionem juvat, univerſos dolores (20) mitigat, (21) eructationem flatumque, præſertim hypochondriorum inteſtinorumq; diſcutit, (22) urinam ducit, (23) concoctioni, diſtributioni, nutritioni, augmentationi confert, (24) menſes cit, (25) nervis præterea (26) aſthmati, (27) pleuritidi, (28) peripnevmoniæ, (29) anginæ, medetur.

Avicenna, ex recentiore & accuratiore interpretatione ſupra laudati Domini Fortunati Vopiſci Plembij, in hunc ſenſum pronunciavit. *Canon. med. l.1, Fen. ſ. ſect. 2. doctrin. 2. ſumm. I. c. 16.*

Aqua quæ calidior eſt, jejuno ventre pota (1) ſtomachum abluere ſolet, & alvum ſubducere; frequens tamen ejus uſus minimè eſt probandus; quòd ventriculi robur frangat: denique impenſè calida ſæpè (2) colicum levat dolorem ac flatus diſſipat. Aqua verò quæ ab arte calet, conducit in-

primis (3) à morbo comitiali male habitis, (4) melancholicis, (5) dolore capitis à frigida cauſa tentatis, (6) ophthalmiâ laborantibus & (7) puſtulas in faucibus ac gingivis, (8) tumores poſt aures habentibus. (9) Proficit etiam illis, qui deſtillationibus vexantur. Item, (10) quibus ulcera ſunt in diaphragmate & alicubi in (11) pectore ſoluta eſt continuitas, (12) menſes præterea, (13) urinamque ciet, & dolores lenit.

QUÆSTIO I.

An Epileptici aliquod commodum ex potu aquæ calidæ ſperare poſſint?

NOn allegato ſolum loco *n.* 1. Avicenna videtur hoc docuiſſe, ſed & *l. II. Canon, tract. 2. c.d. aqua.* ubi ait: *Epileptici juvantur ab aqua tepida, læduntur à calida.* Pridem ante ipſum ſcripſerat Aëtius *l. c. n. 1. Convenit aqua tepida ad comitialem morbum.* Alii ſuum addunt calculum. Videntur autem authores iſti reſpicere ad partem affectam, cerebrum nervoſumque genus, cui *frigus inimicum,* juxta *Hippocr. Aphoriſm. V.* 18. imò *convulſiones creat, juxta aph. V.* 17. *&* 20. Præterea memores Epilepſiam ſæpè per conſenſum ventriculi affligere, ſuppoſito, quod in iis, qui faciles ad vomitum ſunt, hunc concitet, in cæteris *abluat aqua calida ſtomachum & alvum ſubducat,* inter affectus in quibus laudatur calida, recenſuere Epilepſiam. Non videas interim ad horum imitationem Medicos Epilepticis adeò obtrudere potus calidos! Forſan I. quia dandum aliquid conſuetudini, ex *aph. I.* 17. & tanta à moderatè frigidâ, noxa non eſt, quanta metuenda ab exceſſivè tali, de quâ Hippocr. in aph. loquitur.

II. Quia

II. Quia medicamentorum vacuantium compendiis ægris placere magis, & æquè prodeſſe poſſumus. Poſteriori autem loco, Avicenna videtur calidam damnare, hoc nomine, quod & caloris exceſſus genus nervoſum nimium irritabile in Epilepticis, provocare poſſet, ad excutiendum quod ſibi moleſtum eſt.

QUÆSTIO II.

An dolore capitis à causâ frigidâ tentatis conducat potus calidus?

ITerum non allegato ſolum ſuperius loco *n. 5.* ſed & alibi Avicennæ hæc eſt ſententia, *conferre in ſodâ*, ut appellat *frigidâ potum calidum*; laudatque ejus ſententiam illius paraphraſtes doctiſſimus Johannes Stephanus *in l. 3. Canon. fen. 1. tract. 2. c. 12.* inquiens, *A frigidis potionibus itemq; rigido cœlo, eidem* (ſcil. qui laborat intemperie capitis frigidâ) *interdictum oportet.* Aëtio eadem eſt mens *l. ſupra cit. n. 2.* Non invenio aliàs Medicos hâc de re multũ ſolicitos, pleroſq; ſimul notans, potum poteſtate calidum, vinũ, hydromel, Apozemata, Salviâ, Roremarin. Stœchad. Arab. Beton. Pœon. &c. impregnata, inter cætera magis commendaſſe. Verùm enimverò, ſi natura affectus requirit, ut omnem moveamus lapidem, ne frigus externum admittatur, & ut calorem augeamus, qui frigus præter naturam contemperet ſolum, ſi eſt dolor ab intemperie immateriali, aut ſequaciorem reddat materiam lentam viſcidamque, ſi à tali, ut plerumque, dependet; & eum in finem omnis generis fotus, tum per medicamenta tum per tegumenta parantur & parari debent, non video qui non debeamus vitare frigus etiam in potu. Potus ſanè actu admodum frigidus ſubiens per os ad fauces, non videtur minus afficere per baſin ſuam cerebrum, quàm externus aër per calvariam. Quia tunica illa faucium communis eſt membranis cerebri, ideò ubi frigiditas contrahitur in faucibus, facilè communicatur & cerebro. Sunt verba doctiſſimi Hollerii *comm. in aph. 24. ſ. V.* Unde apparet, non abſque ratione Auctores allegatos hoc protuliſſe, quamvis pauci ſint, qui eos ſequantur tum Medici tum ægrotantes.

concoquit, quamvis interdum etiam ex accidenti humores quoq́; digerat & diſſipet, ut loquitur Fernel. *l. VI. Meth. Med. c.11.* Et hinc facilè, puto, intelligitur, quam peccent, qui in quibuslibet aphthis refrigerantia, adſtringentes, repercutientesque collutiones, inunctiones, &c. utramque paginam abſolvere, ſibi habent perſuaſum. Quem errorem meritò nuper damnavit Vincentius Ketelaer, *Commentario de aphthis Belgarum*, declarans, ſæpè quibus os colluitur, aphthas non tam fugare, quam provocare debere, propterea lenientia, maturantia, dulcia, pectori amica, omnia formâ liquidâ & actu tepida adhibenda eſſe. Placet ſubjungere experientiam, quâ notata confirmatur ſententia. *Plebs noſtra*, ait idem, *uſu & Medicorum præceptis edocta, poſthabitis omnibus operoſioribus & ſumtuoſioribus medicamentis tutiſſimè utitur vel ſolo raporum juſculo ſaccharato edulcorato. vel ſi tempeſtas anni id negat, cereviſiâ tenui ſaccharatâ: quæ duo ubi intepuerunt, omnes oris partes alluendo, & in imas fauces deſcendendo, non modo aphtharum acrimoniam, ſi quæ ſit, placant, ſed omnem etiam qualitatis exceſſum mitigant, atque hoc pacto maturationem perficiunt. Illa hoc magis qrobanda ſunt, quod nobis familiaria, alienam ac ingratam medicaminis vim non reſipiant.*

QUÆSTIO IV.

In dentibus perforatis quid conferat? juxta Aëtium l. c. n. 4.

DE moderatè calida, quæ tepida propterea vocatur, ſermo eſt. Notum enim aliàs etiam in vulgus, quod

Pultes ferventes faciant corrumpere dentes.

Quod ſi acciderit, aut aliàs contingat, *Dentes ignibus invictos flammisq́; indomitos cavari tabe pituitæ*, ut loquitur Plinius *hiſt. nat. VII. 16.* & ex eo Bartholomæus Euſtachius *l. de dentibus cap. 30.* parte ſenſibiliore injuriis magis expoſitâ, illos frigido potu magis lædi, & dolore affici, ipſa experientia docet; & frigus dentibus inimicum, Hippocrates docuit *Aph. V. 18. & lib. de humidorum uſu c. 4.* & Galenus conſtanter idem aſſeveravit. Hinc à pleriſque omnibus Medicis, illis qui carie dentium laborant, inter cætera diætæ præcepta inculcatur, ut gelida omni ſtudio fugiant,

ſicut

ſicut & vehementer calida, quæ ſi ſe invicem excipiant, omnium maximè diſponunt dentes ad cariem, ita ut tandem frangantur & fruſtillatim excidant. Conſultum ergò attemperare potum; Imò ipſa neceſſitas cogit multos, ut calefaciant eundem; calidum enim eſſe amicum dentibus, ut docet Hippocrates *loc. ſupr. cit.* ipſo uſu diſcunt.

QUÆSTIO V.

An conducat potus calidæ ophthalmiâ laborantibus?

AFfirmantem tuentur Aëtius *l. ſupra c. n.6.* & Avicenn. *l. cit. n.6.* Unum enim eundemq; affectum notant citati Auctores. Negationis tamen ratio videtur ultrò occurrere. Quandoquidē enim juxta præceptum Celſi *l. VI. c. 6. qui ophthalmâ laborant, quam minimum etiam aquæ bibere debeant, nec minus auxilij in abſtinentia ſæpè quam generoſioribus remediis ſit,* conſultum utique non videtur, eum admittere potum, quo hauſto, *plus ſitiuntur aquæ.* cum illo ſubinde aſſumto, materia fluxionis, lachrymarum, tumoris, augeatur. Hanc ſanè rationem omnes hodie apud nos ſequūtur, decoctum Hordei, Cornu Cervi, vel aliud appropriatis alteratū actu frigidū parcâ manu concedentes; rarius vinum, quia rarior caſus ille, ad quem reſpexit Hippocr. *VI. aphor.* 31. quando ait: *Oculorum dolores vini potio, aut balneum, aut fomentum, aut phlebotomia, aut purgatio ſolvit.* In quo aphoriſmo Hippocrates tempora morbi & cauſas parum explicuit, ut notat ante multos alios Cornelius Celſus l. c. Forſan reſpexit Aëtius & Avicenna ad conſilium, quod repetit doctiſſimus Hollerius *Comm. in VI. 31 aph.* inquiens: *Si corpus non ſit plethoricum, neq; cacochymicum, neq; caput abundet excrementis, venulæ autem oculorum fuerint repletæ craſſo & pituitoſo humore, ita ut turgeant, vinum concedendum, illudq; bibendum ex amplo vaſe, v. g. paterâ, ut oculi in vas hient: iis autem, qui conſuevere diluere vinum, illud diluendum aquâ calidâ, ut citius penetret.*

QUÆSTIO

QUÆSTIO VI.

Quomodo ad tonſillarum morbos utilis potus calidus? juxta Aëtium l.c. n.7.

TOnſillæ vulgò Amygdalæ dictæ, ſunt glandulæ utrinque ad radicem linguæ, *perpetua quibusvis eſt eructandi ſalivam, ut madeſiant lingua, larynx, arteria ipſius, pulmones*, ut loquitur elegantiſſimus *Fernelius d. part. hum. corp. deſcript. l. 1. c. 8.* Frequentiores harum partium morbi ſunt, Tumores, oppletâ earum ſubſtantiâ, à deſtillatione frigidâ, Inflammatio, Ulcera à deſtillatione ſalsâ, acri, aut malignâ, Induratio. Tumores à frigidâ deſtillatione inhærentes ex ſuâ naturâ requirunt calidum. *Quæ enim perfrigerata ſunt, excalefacere oportet. Aph. V. 19.* & cum diſcuſſionem & attenuationem deſiderent, operæ certè pretium videtur, potu frigido ad tempus carere, & calidum ſubſtituere, qui intentioni Medici reſpondeat. Inflammationes [loquor de factis, non de iis quæ ſunt in fieri] poſt cætera, vel diſcuſſionem inhærentis materiæ inſenſibilem, vel ejusdem, factâ ſuppuratione, vacuationem manifeſtam poſtulant: utramq; autem intentionem juvat potus calidus, ſubvertit frigidus. *Denſat* enim *frigus & dolorem inſuppurabilem reddit*, ut jam dictum, ex *Aph. V. 20.* Ulceribus eſſe mordacem potum frigidum, juxta eundem aphoriſm. nullum dubium eſt; quoniam integris viribus adpellit. Si induratæ fuerint, nocebit potus frigidus; quia frigoris eſt denſare, obdurare; juvabit calidus, quia laxat & emollit. Non E. temerè dixiſſe videtur Aëtius, potum calidum utilem eſſe ad tonſillarum morbos.

QVÆSTIO VII.

An potus calida conveniens potus illis qui catarrhis tentantur?

NOn accipimus hîc nomen Catarrhi generaliſſimè, pro quâvis in partem corporis quamcunque, præternaturali fluxione; ſicut quandoque accipi ſolet, v. g. *Aph. III. 12. Hipp.* ubi dicitur, Senibus propter conſtitutionem hyemis quidem auſtrinam & pluviam, veris autem ſiccam & aquiloniam, fieri *catarrhos*

 perniciem

perniciem brevi allaturos, id eſt, *Apoplexias, Paralyſes, Convulſiones, tabes*; *Ut quisq; pars recipiet fluxionem*, monente, cum cæteris, doctiſſimo Hollerio *in Comm. Aph. Hipp.* Et apud Hippocr. fit mentio *in Coac. prænot.* Catarrhi ad ſpinalem medullam; & communi formulâ, dicuntur fieri Catarrhi ad dentes, oculos, aures, nervos, ſtomachum, muſculos, ſpatia inter muſculos & cutim. Sed ſtrictiùs, ut notat omnem humoris è cerebro fluxionem in palatum, os, nares, & poſt vias intermedias, ad fiſtulas pulmonum. In tali igitur defluxione quæritur, an commendari debeat aquæ calidæ potus? Diſtinctè hâc de re ſententiam tulere *Aëtius l. ſupra c. n.* 8. *Avicenna l. ſupra c. n.* 9. *& l.* 3. *fen.* 5. *tr.* 1. *c.* 13. ubi ait, *In Catarrho frigido & potus aqua calida eſt juvativus, maturans eos, & expellit ab eo quod vicinatur membris anhelitus, maturando illud quod deſcendit & leniendo.* Meſue *de ægritudin. cerebri* ait. *Et dicitur quod potus aqua calida maturet catarrhos.* Hoſce notat vir Excellentiſſimus D. Cunradus Schneiderus *de catarrh. l. V. c.* 4. ſequi, ex recentioribus Arnoldum Novicom. Antonium Guainerium, Jacobum de Partibus, Arculanum, Joh. Matthæum de Gradibus, Ugonem Senenſem, Alexandrum Benedictum, Vincentium Aſſarium à Cruce, Franciſcum Valleſium; quos vide, & adde Ludovicum Nonnium *de re cibaria. l. IV. c.* 6. Contra hanc vulgarem ſententiam, nonnulli inſurgentem & diſputantem allegant Barrholomæum Paſchettum, *l. de deſtill.* Prolixior eſt diſcurſus, quàm qui hûc tranſcribi debeat; habetur autem *l.* 2. *de deſtillatione c.* 4. *p. m.* 193. Verùm, pace illorum dixerim, Paſchettum, loco citato, nil minus agere. Nam de præſervatione, quoad hanc regiminis 6. rerum non naturalium partem, tantùm ei eſt ſermo; ſicut ab initio monet; *Statutum mihi duntaxat hoc loco perquirere, an pro præſervatione à qualibet ſpecie deſtillationis utilior futurus ſit calidus quàm frigidus potus*; & concludit; *ut his omnibus de cauſis cogar venire in eam ſententiam, nullum eſſe calidi potus uſum ad præſervationem à deſtillatione, & à morbis, quos illa concitare ſolet.* Quæſtio autem ſupra propoſita, & allegati Autores loquuntur de curationis vel diætæ curationi reſpondentis, præſentis catarrhi, parte; manentque diſtinctæ quæſtiones & diverſæ, An in curatione catarrhi adhiberi debeat calida? &, An illis qui catarrhis

tarrhis obnoxii ſunt, etiamſi ipſo actu his non laborent, potus ordinarii loco, debeat eſſe aqua calida?

Priorem quod attinet, *Mellis aquam actu calidam veteres omnes laudant*, notante Antonio Guainerio. *Et hoc eſt experientiâ probatum, quod qui ſumunt eundo dormitum quinq; vel ſex uncias aquæ hordei excorticati calidæ, cum modico ſaccharo in catarrhis calidis multùm juvantur*, ait Joh. Matth. de Gradibus. Confirmat illam ſententiam praxis apud nos quotidiana, dum in curatione catarrhorum, aquam florum acaciarum, alias pectorales, cum ſacchar. Cand. decocta pectoralia, lac caprillum pectoralibus alteratum, &c. omnia ad tolerantiam calida, modo ante notato, ſubinde, non ſine ſucceſſu exhibent. Sed non immeritò hîc quæſiveris, quomodo in utroque catarrho frigido & calido ſcil. proficuus eſſe queat? Reſpondeo in utroque locum habere, modò hoc notes, ſi non ſimplex exhibeatur, in frigido calidiora, in calido temperatiora eſſe addenda, ſicut Jacobus de Partibus notat, *ſatim eſſe, ſi mellita ſit aqua calida in frigido catarrho, ſaccharata in calido.* Modum agendi quod attinet, ſtatuunt Medici, In catarrho calido per potum calidum, quod ſuâ ſubtilitate deſcendit & difficultatis in anhelitu, vocis aſperæ & raucæ cauſa eſt, maturari, & ita incraſſando ad talem ſtatum reduci, ut, quod prius propter tenuitatem ſubſtantiæ fieri non poterat, per tuſſim & ſcreatum poſſit rejici. In frigido catarrho, cum *frigus pectori inimicum* ſit. *Aph. V.* 24. & in genere, *quæ perfrigerata ſunt, excalefacere oporteat. Aph. V.* 19. & in ſpecie, frigidus catarrhus propter lentorem & viſciditatem plerumque non niſi aucto partium calore, attenuari & rejici poſſit, utique inter cætera præſidia etiam calidus potus eſt proficuus, & in calido potu eſt Medicina.

Alteram verò quæſtionem quod concernit, nulli dubitamus, ſtare à partibus Bartholomæi Paſchetti *loc. ſupra cit.* aſſerentes, non apparere, quem inſignem uſum præſtet, mutatâ majori mortalium parti communi victus ratione, potus quotidianus calidus, aut quomodo præſervari illius beneficio poſſint? Aſſenſum enim hactenus meruit in foro medico generale pronunciatum Avicennæ *loc. ſupra cit. Frequentem calidæ uſum minimè*

F 2 *eſſe*

Digitized by Google

eſſe probandum, quod ventriculi robur frangat. Unde, præter cætera, materia catarrhi enaſcitur potius quàm minuitur. add. ſuperioris Diſput. §. 91. In ſpecie verò exemplis probat idem Paſchettus, illuſtres etiam perſonas auctoritate & ex conſilio Medicorum nonnullorum fruſtra immunitatem à deſtillationibus inde ſperâſſe, exceptione tamen admiſſâ de illis, qui præter naturam & modum frigido ſunt ſtomacho, & de adſuetis potui calido: cujus exceptionis cauſa jam fuit notata.

QUÆSTIO VIII.

Quid commodi præſtet potus calidus Melancholicis? juxta Aëtium l. c. n. 9. & Avicenn. l. c. n. 4.

QUoniam aqua calida facilè permeans, ſecus ac frigida, humorem melancholicum non ſolùm contemperat, ſed & diluendo ipſum, ejus vires ita frangit, ut inſurgente vel ultrò, vel ab arte provocatâ naturâ, præter obſequii gloriam nihil ipſi ſit reliquum, non immeritò videntur dixiſſe allegati auctores, aquam calidam melancholicis conducere. Sunt, qui accipiendum hoc velint de potu ordinario, in victûs regimine, vel quia debiliorem plerumque habent ſtomachum Melancholici, vel quia aqua frigida aſſumta oppilationes aut parit aut confirmat. (vide Paolo Zacchia *de mali hypochondriaci l. II. c. 16.*) Verùm, primum quod attinet, quare non facilè cui denegandus potus utcunque frigidus, & quod moderatè frigidus ſtomachum non offendat, niſi admodum languentem, ex ſuperioribus conſtare poteſt; quod verò oppilationes concernit, minimè concedimus, illas moderatè frigidi potus eſſe ordinaria producta. Exiſtimamus ergò, ad curationem potius auctores reſpicere, cum ſcil. nobis animus eſt, pertinacem illum humorem quovis modo ex ſede ſuâ exturbare. Unde utilitatem magis videntur perſpexiſſe, qui potus medicatos humori melancholico præparando accommodatos, calidè exhibent: hinc videas paſſim Apozemata longa, quæ difficili & ſæpè fruſtra exoptatæ humoris melancholici evacuationi præmitti ſolent, actu calida exhiberi,

item

item decoctum Galli veteris , ſerum lactis aperientibus quaſi exaltatum, & quæ ſunt ſimilia.

QUÆSTIO IX.
Quid potus calidi in cholerico affectu præſtent? Aëtius l.c.n. 10.

CHolericus affectus hic nobis eſt humoris pravi, plerumque bilioſi, per ſuperiora & inferiora, moleſta rejectio, à ſtimulo irritante facultatem expultricem ortum ducens. In hoc affectu, cum ingruens vacuatio noxii humoris ſupprimenda non ſit, Medici jubent, ab initio aquam tepidam liberaliter bibere: vide Alexandrum Trallianum *l. VII. c.* 16. Franciſc. Pedemont. *de ægritud. ſtomach.* Victor. Trincavell. *de ratione curandi particulares corporis humani affectus l. VII. c.* 16. Hieronym. Capivacc. *Pr. l.III. c.*12. Amat. Luſit. *cent.* 1. *cur.* 32. Petr. Foreſt. *l. XVIII. obſ.* 45. 47. 48. Sennert. *Pr. l. III. part. I. ſect.* 2. *c.*12. River. *Pr. l. IX. c.* 6. alios; quoniam ſcil. illa materia eſt remedii vacuantis per vomitum convenientiſſima, utpote quæ nullam pravam qualitatem habet conjunctam, acrem materiam ſimul attemperat, & faciliorem quàm alia vomitum reddit; quamvis abluendo vitioſos humores, interdum ad inteſtina deducat: ut inferius dicetur. Eleganter haſce utilitates expreſſit Medicorum Cicero, A. Cornelius Celſus *l. IV. c.*11 *Protinus*, inquiens, *ubi iſta cœperunt, aquæ tepidæ quamplurimum bibere oportet & vomere. Vix unquam ea ſine vomitu ſumitur: Sed etiamſi non incidit, tamen corruptæ miſcuiſſe novam materiam prodeſt, parsq; ſanitatis eſt, vomitum eſſe ſuppreſſum.* In progreſſu choleræ, videas alios gelidam ſingulariter commendare; quod æſtuans humor illâ mitigetur, impetus ſiſtatur, incendium extinguatur, viſcera recreentur: alios egelidam exhibere; quorum mentem expreſſit Celſus *loc. c. Quod ſi vehementer & vomitus & dejectio, & ſitis vexant, & adhuc ſubcruda ſunt, quæ vomuntur, nondum vino maturum tempus eſt: aqua, neq; ea ipſa frigida, ſed potius egelida danda eſt*: alios calidiſſimam propinare. Ita enim Aretæus *l.*2. *Acutor. c.* 4. *Si omnia evomat æger, & ſtomachus nil retineat, ad calidas potiones veniendum*

F 3 *eſt:*

eſt: calida verò calidiſſima ſunto. cui calculum addit Sennertus & Foreſt. *l. c.* Prioris ſententiæ fautores firma neceſſe eſt ſupponere viſcera: quibus ſuppoſitis, firmâ videntur niti ratione, dum conflagrationem reſtinguere nituntur, ſedato aduſtorum excrementorum impetu: unde ſupra citati auctores, qui tepidam vacuationis gratiâ commendabant, pleríque ſecuti Trallianum, alterationis gratiâ, frigidam modicè ſumtam laudant. Qui egelidam propinant, ita curare cupiunt, ut non noceant. Quo conſilio autem poſterioris ſententiæ auctores calidiſſimam commendent, ferè obſcurum eſt. Dn. Sennertus loco citato ait: *Si de cauſa hujus auxilij quæratur, Avicenna ſcribit, ideò prodeſſe, quoniam calida cum penetrent in venas, humores retrahant in ventriculum tendentes. Mercurialis verò, ideò talia juvare ſtatuit, quod diſſipent, vacuent, & diſflare faciant humores. Mihi probabilius videtur, calida actu vomitum ſiſtere, quod ventriculi calorem, qui in hoc affectu valdè debilitatur, foveant ac roborent.* Verùm, (quod pace tanti viri dixerim) valdè dubito, an hoc in affectu ventriculus adeò frigeat. Magis arridet eorum ſententia, qui calidiſſimam propinandam ſuadent, quando ſuſpicio eſt, ſtimulantem illam, & cætera corrumpentem ſuccum, vel (ſi cum recentioribus loqui mavis,) præter naturale fermentum, quaſi infixum inhærere partibus, cum calidiſſima tale eluere apta ſit. Habeo, qui mecum ſentiat, Petrum Foreſtum, *lib. XVIII. obſerv. 47. Schol. In cholerâ, ſi ſponte natura cœpit excernere utrinq; conſideramus, num corruptio totum invaſerit, an ventrem ſolùm, & primas venas, quæ inter ventrem & jecur ſunt. Nam ſi ad has partes ſolas attinet, ſufficient ea, quæ diximus, uno excepto, quod calidâ aquâ potabimus. Hic enim intentio non eſt, vomitum proritandi, ſed abluendi excrementa, iis quæ infixa & inhærentia proritant, & temperare ea, ne mordeant. Ita nos in juvene priore dedimus, ut etiam in muliere, quæ medicamentum ex veratro ſumſiſſet, aquam decoctionis hordei communis cum ſaccharo.*

QUÆSTIO X.

In vomitu bilis quid præſtet calida potus? juxta Aëtium l. ſ. c. n. 11.

QUoniam ſatis ſuperque ex ſuperioris quæſtionis reſolutione de

de hac quæſtione conſtare poteſt, nolumus de ea plura addere. Memores, quos uſus in Cholera præſtet, concludimus: Quod poteſt majus, poteſt & minus.

QUÆSTIO XI.

An aqua calida in Febre utiliter potetur? ex Aëtio l.c. n. 12.

Ejusdem ſententiæ eſſe videtur Medicorum Princeps Hippocrates; verba ejus ſunt *l. d. loc. in homine. Febrienti in potu dabis aquam calidam, & aquam mulſam, & acetum cum aqua: hac autem quamplurima bibat.* Aliàs conſtans Medicorum ſententia eſt, ad febrilem compeſcendum æſtum, inter præcipua ægrotantium ſolatia, largiorem frigidæ aquæ potum, cæteris ferè præripere palmam. Galenus quidem *comm. I. in l. Hipp. de vict. rat. in morb. acut.* ad textum illum: *Utendum autem eſt potu aceti mulſi, ſi dolor affuerit, hyeme quidem calidi, æſtate verò frigidi: Si verò multa fuerit ſitis, etiam aquâ mulſâ & aquâ:* miratur, quod Hippocrates uſum frigidæ in acutis non diligentius proſecutus ſit. Sed tamen abundè aliàs ejus videtur injeciſſe mentionem. *l. IV. Epid.* ſub finem ait: *In febribus acutis ſiticuloſi, à Medicis potu interdicto, aut à ſeipſis abſtinentes, multum ſibi bibere poſſe videntur: his aqua frigida data, ut revomant, prodeſt; bilioſa enim aderunt. & l. II. de morb. c. 36. Ante medicamenti potionem ſi quis febriat, danda eſt ipſi aqua mulſa aquoſa: alterâ autem die, quâ febris detinet, aquam frigidam, quantum bibere volet, dabis:* & paulò poſt: *Reliquo tempore aquam frigidiſſimam bibat.* Galenus maximis elogiis extulit aquam frigidam. *l. IX. M. M. c. 5. Potio*, ait, *frigida* ſc. tempeſtivè exhibita, *extinguit febrim, naturam robuſtam reddit, ut deinceps per alvum & ſudorem expellat, quæcunque noxia ſunt:* Imò, ibidem duo maxima febrium continentium remedia aſſerit eſſe, detractionem ſanguinis, & potionem frigidæ, neminemque ex tempeſtivo uſu læſum unquam: confer *comm. I. in l. Hipp. de vict. acut. n.* 43. Rationes ſatis validæ allegari poſſunt: I. quia æſtus febrilis in cauſo & aliis acutis febribus non habeat aliud magis contrarium, quàm aquam frigidam, utpote quæ tum actuali, tum potentiali frigore & inſigni humectandi

ctandi virtute extinguit ignem. II. Intenſiſſimæ in febribus acutis ſiti, non niſi frigidæ potu, ſatis fieri poſſit. III. Quod non ad edomandam ſolùm, ſed & vacuandam bilem, quæ acutarum febrium eſt cauſa, ſi copioſior ſit, faciat. IV. Quod ad vacuationem per ſudorem facere poſſit. Quæ auctoritates & rationes tantæ ſunt, ut paucos reperias Medicos, qui non idem aſſerant, paucos qui non in praxi hæc præcepta ſequantur. Quo jure E. Hippocrates *l. ſupra cit.* videtur contrarium ſibi & præcipuis omnibus, aſſerere ? & videturne Aphoriſmus 16. S. I. *Victus humidus febricitantibus omnibus utilis*, idem ſibi voluiſſe, quia non laudavit frigidum ? Reſpondeo. In febribus acutis ab inflammabili bile oriundis, magis videtur urgere ſymptoma, nimirum horrida & perpetua ſitis, & ipſe morbus intemperies totius ignea, quàm cauſa ipſa; ad tormenta ergò & extremam calamitatem removenda, & naturæ ſolatium ſubitò ferendum, potus actu etiam frigidus exhibendus, & exhibendum præcepit, Hippocrates locis ſupra allegatis, ut & Galenus, cæterique tantùm non omnes; quia præſtat ſumtâ frigidâ febrem paulò producere, quæ tamen curari poſſit, quàm permittere, ut æger magnitudine febris ſuperetur. aliàs enim *ſpiritus nimio calore diſſiparentur, partes ſolidæ exſiccarentur, & æger in maraſmum incideret.* Sennert. *de febr. l.* II. *c.* 13.

Quando autem Hippocrates *loc. ſ. c.* calidos commendat hauſtus, ad cauſam morbificam reſpicit, quam vacuare ipſi eſt animus. Subjungit enim Hippocrates ſtatim: *Si enim non frigidus ingreſſus fuerit, calidus exiſtens ac manens, ex corpore ægroto detrahet, & per urinam ejiciet vel exſudabit.* Suppoſito enim, quòd copioſè calida exhibita ſit, ut ſupra præceptum, talis vacuatio ſequitur, *tum ratione quantitatis, tum ratione qualitatis, ſiquidem aqua calida laxat, aperit, emollit, attenuat, fundit, & ſimul devehit & abluit,* ut loquitur Sinibaldus *ἀνλεγ. Hipp. l. IV. cap.* 10. *fin.* Magis illud præſtat mulſa ſive hydromel, quia mel urinam ciet: adjuvat acetum, út ſupra notatum, quia penetrandi vim habet. Circumſtantiarum interim diligentem medendi artifices habuiſſe rationem, anni temporis, conſuetudinis, roboris ventriculi, liquet tum ex ſupra allegatis locis, tum ex *Meth. Med. XII. c.* 3. ubi Galenus hæc

hæc habet: *Si æſtas ſit, & æger frigidæ adſuetus potioni, frigidum huic oxymeli dabis; ſin hyems ſit, omnibus calidum, tum iis, qui calidæ, tum iis, qui frigidæ inſueverunt, offeres, æquè ut ſi immodicus æſtatis tempore æſtus ſit, etiã iis, qui calida adſuevère frigidã.* D. Heurn. *de febr c.* 14. monet, *ſi in febribus vis ventriculi langueat, frigidam non eſſe exhibendam, ſed calidam.* Ex quibus omnibus ſatis apparet, non nullum potus calidi in febribus eſſe uſum. Sed quæritur amplius:

QUÆSTIO XII.

An in febribus intermittentibus aliquis potus calidi ſit uſus?

IN priori quæſtione dictum, in febribus continuis eam eſſe ignei morbi & urgentis ſymptomatis vim, ut, quamvis cauſa aliud ſuadere videatur, potu frigido ægris gratificandum ſit. In intermittentibus longè videas aliter evenire. In his enim ingruente paroxyſmo, & in principio ejus, à potu abſtinere, tàm eſt ſalutare, quàm quod maximè; unde id operam damus in praxi, ut utcunque credant febricitantes, ſi à potu abſtineant, breviorem fore paroxyſmum, quo declinante, & ſitis deſitura: qui non abſtinuerint, protrahere tormentum ſitis, & minus torqueri ſiti eum, qui non bibit, quàm qui bibit. Ratio eſt, quod in febribus intermittentibus, id quod corruptum eſt, gliſcente fermentatione ſequeſtrari & excludi debet: quod totum negotium ingeſtâ frigidâ turbatur, & facit, ut paroxyſmus producatur. Subactâ autem materiâ, & ut ita loquar, ad excluſionem reformatâ, conceditur potus ad ſudores promovendos: & hoc in caſu, & hoc ordine, aſſerimus cum D. Daniele Sennerto *l. I. de febr. cap 9. Sæpius calidum potius, quàm frigidum, bibere præſtat: cum citius ſudent, minusq; lædantur, ſi calidum quàm ſi frigidum biberint.* Idem nobiſcum videtur ſentire Avicenna *l. III. fen.* 13. *tr.* 5. *c.* 15. quando ait, *Aqua frigida multoties in febribus fit cauſa additionis febris; oportet igitur, ut bibatur calida.*

Digitized by Google

QUÆSTIO XIII.

An conveniat quibus ulcera in diaphragmate?

ITa volunt Aëtius *l. c. n.* 13. & Avicenna *loc. cit. n.* 10. Non videtur autem nomen Ulceris hîc ſtrictiſſimè acceptum, ut notat ſolutionem continui, cum imminutâ magnitudine in parte molli, à materiâ erodente; ſed laxius & probatâ veteribus ſignificatione, (vid. Fallop. *de ulceribus c.* 7.) ut notat omnem ſolutionem continui in parte molli, ut comprehendat etiam vulnera, quæ pleraque, dum pus generatur, de natura ulceris ſpecialiter dicti, participant. Quare autem, obſeſſo ulcere diaphragmate, frigus in potu vitandum, indicâſſe videtur Hipp. quoniam ſcil. *Frigidum ulceribus mordax, doloremq; inſuppurabilem facit. Aph V.* 20. Nam cum Oeſophagus perforet ipſum diaphragma, admiſsâ per illum ipſum canalem frigidâ, pars proxima non poteſt non affici: afficitur autem cum moleſtiâ & morſu, quando ulcerata eſt, quæ nullum incommodum inde ſenſit, dum erat integra: ſicut videmus etiam partes externas, dum ſunt integræ & cute tectæ, facilè perferre frigus, & quæ admoventur. Cum verò exulceratæ ſunt, uri ab admiſſo frigore, & vix admotum ferre linteum. Cauſa autem morſus eſt, quia ulceratas carnes molles & raras frigus actuale contrahit, conſtringit, fuliginoſumque excrementum & ſaniem detinet. Dolor inſuppurabilis redditur: quia pus eſt productum caloris; hôc ergò, frigore ſubinde accedente, debilitatô, illud ſperari non poteſt.

QUÆSTIO XIV.

An ſanguinis ſcreatus calidam deſideret? ſecundum Aëtium. l. c. n. 14.

POſſet videri Hippocrates diverſum ſentire, *Aph. V.* 19. *Quæ*, inquiens, *perfrigerata ſunt, excalefacere oportet, præter ea, quæ ſangui*

ſanguinem profundunt, aut brevi ſunt profuſura. Cum enim hic pectus ſanguinem profundat, & profuſurum ſit, videtur omnis calefactio, & ita, quæ per potum inſtituitur, damnari. Verùm, cum Hippocrati ſermo ſit de hæmorrhagiâ, hìc verò de ſcreatu ſanguinis, nulla ſubeſt contradictio. Hippocrates notat hæmorrhagiam, quæ fit à frigore, ruptâ venâ, in quâ ſymmetriæ reſtitutionem tantiſper ſuſpendendam præcipit, donec hæmorrhagiæ, quæ funeſta aliàs futura eſſet, remora injecta ſit, per refrigerantia, adſtringentia, &c. Et ita omnium Prácticorum, in ejusmodi hæmorrhagia, prima intentio eſt, ſanguinem fluentem ſiſtere, & vas apertum claudere, quod calidis præſtari non poteſt. Sæpè autem ſputum cruore conſperſum conſpicitur, nullo imminente ab impetu ſanguinis periculo, hærente in pulmonibus recens quâcunque de causâ, extravaſati ſanguinis portiunculâ, quam natura per tuſſim rejicere, ſummâ ope nititur, & medicus niti debet. In tali ſcreatu ſanguinis, calidæ potum laudabit, quicunque retentum ſanguinem neceſſariò corrumpi, à ſanguinis ſputo, puris ſputum ſequi, & ulcerum in pulmonibus cauſam fieri, potum autem calidum expectorationem juvare, frigidum, ſputũ retinere, & ad rejectionem ineptum facere, intelligit. Expreſſit hoc diſcrimen Zacutus Luſitanus *de Medic. Princip. hiſt hiſt. 5 paraphraſ. Aſſumendus*, ait, (ſc. in rejectione cruenta) *hic lapis hæmatites frigidus actu medicamentis commixtus, quæ inſpiſſant, adſtringunt, ſiccant, craſſant, cohibent, ſanguinem undiquaq; manantem ſiſtunt, & ad omnes immodicas excretiones valent eximiè Si verò cum tepida ſæpius pro compeſcendo ſanguine, à ſpiritalibus partibus manante, Galenus propinat, id in iis qui copioſè ſanguinẽ non exſpuunt &c.* Quod ipſum ante Zacutum plurimosq; alios docuit Alex. Trallianus *l. 7. c. 1.* In quo tamen noto, non ſolum pro vehiculo medicamentorum adſtringentium, cum commendaſſe calidam, ſed & pro potu ordinario. Ita enim *l. c. Potus autem aqua tepida per totum morbi curriculum exhibeatur, eaq; non calida, ſed temperata Quemadmodum etiam dicetur. Quod ſi diu tepida potioni inſiſtere nequeant, imbecille ſe ventriculi os habere dicentes, concedendum ipſis etiam paulum omphacomelitis, aut hydroroſati, aut hydromeli ex cotoneis ſemel aut bis aſſumere: In aliis horis rurſus tepidam, aut poſcam aquoſam.*

 QVÆ-

QUÆSTIO XV.

Quo nomine in rupturâ coſtas ſuccingentis membrana commendetur ab Aëtio? loc. cit. n. 15.

PER Rupturam non videtur ſolum propriè dictam, qualis in Pleuritide, effuſo in membranam illam coſtas ſuccingentem, ſanguine, formatoque abſceſſu tandem ſupervenit, intelligere; ſed quævis ſimul pleuræ ulcera & vulnera notare. Ruptô abſceſſu in pleurâ, ſeu ruptâ illâ ipsâ membranâ, in quâ pus collectum hærebat, & effusô hôc in cavitatem thoracis, tantùm non omnis ſpes reliqua pendet à vacuatione per ſuperiora. *Si enim à ruptione Empyematis intra dies quadraginta repurgentur, liberantur, alioqui tranſeunt in tabem,* ut monet Hippocrates *in Aphoriſm. V. 15.* Morâ enim pus, utut laudabiliter excoctum, corrumpitur, evadit acrius, unde exulcerantur pulmones naturâ ſuâ molles, rari, ſpongioſi; unde tabes. At verò, illam vacuationem per ſuperiora, ſeu per tuſſim, factâ transſumtione, tantum abeſt, ut potus frigidus promoveat, ut potiùs illam impedire dicendus ſit. Quamvis enim experientia doceat, potum frigidum tuſſim excitare, per quam vacuatio inſtituenda eſt, dum ſc. cohorreſcunt pulmones afflicti, ad ſenſum frigoris ſibi inimici: attamen ſimul mirabilis transſumtio & ἀνακάθαρσις (de quâ conſulendus Galenus *lib. V. de loc. affect. cap. 3.*) ſupprimitur: quoniam frigus denſat, & ſicut cutim obdurat, *Aphoriſm. V. 20.* ita etiam alias membranas, ita etiam membranam pulmonum, ita etiam vaſa, ſubſtantiam. Contrà verò, potus calidus laxat, aperit, ac facilitat expectorationem. Hæc cauſa videtur, quare Hippocrates *de vict. rat. in morbis acut. cap. 47.* ubi pectoris affecti indicia adſunt, & expectoratio promovenda, præcipiat: *Bibendam eſſe aquam mulſam calidam coctam:* quamvis alibi exceptionem admittat. In vulneribus & ulceribus ſiquidem ſor-

des,

Digitized by Google

des, pus, injectâ, notatâ viâ expurganda ſint, eadem ratio militat: Accedit verò & hæc cauſa, quare potum frigidum fugere debeant, qui pectus perfoſſum habent, aut ex ulcere dolens, quoniam in conſenſum tractis pulmonibus, hi à frigido potu irritantur ad tuſſim vehementiorem, unde à concuſſione, in affecto pectore, immanis dolor excitatur, qui multorum præterea malorum cauſa eſſe poteſt.

QUÆSTIO XVI.

An congruat, quando evacuationem paramus? ut loquitur Aëtius loc. cit. n. 16. ſeu An aqua calidior jejuno ventre pota, ſtomachum abluere ſoleat, & alvum ſubducere? ut loquitur Avicenna l. c. n. 1.

TAmetſi apud eos, qui, digeſtâ remediorum materiâ, claſſes inde conſtituerunt, imò apud eos, qui medicinam pauperum exhibuerunt, ſeu de remediis facilè parabilibus ſcripſerunt, vix mentionem invenias, hujus tantùm non ubivis obvii remedii; ſunt tamen, qui aliàs hoc ipſum annotarunt. Hoc conſilio Hippocrates, *Febricitantibus in potu aquam calidam dare jubet. lib. de locis in hom.* quâ de re tamen ſupra. Aëtius Amidenus ait, iterum alibi: *Aqua calida ſeceſſum ducit.* Johannes Steph. *Diagog. ad incolumitatem diu ſervandam cap. 3.* ait, *Calidior aqua interdum ventrem terget, interdum ſolvit, frequentior tamen enervat.* Victor Trincavell. *l. VII. c. 16.* ait, *In cholera, abluendo vitioſos humores, ad inteſtina deducere.* Hieronymus Capivaccius *l. III c. 12.* de cholera agens ait, *aquam calidam attemperare materiam, & utrumq; orificium laxare, unde materia promptius vacuetur.* Ludovicus

dovicus Nonnius *de re cibariâ l. IV. cap. 6. Quod ſi*, inquit, *etiam acris humor ventriculi tunicas lancinat, calidæ beneficio eluitur, atque ad alvum depellitur.* Et in fine capitis. *Certum eſt, calidam ventriculi ſordes eluere, & innatantem bilem deorſum depellere, & ſitim ſedare.* Hos videtur ſecutus Bernhardus Svvalbe, qui inter cæteras ventriculi querelas & opprobria hæc habet: *Solvit aqua calida maximè virtutem meā, licet aliquando humorē lancinantem membranis meis eluat.* Et quis quæſo dubitet de illo, ex potu calidæ in ventriculo & inteſtinis effectu, cum aquæ calidæ eundem in externis conſtanter obſervemus. Quoties nobis animus eſt, ſordes rebus pertinacius adhærentes abluere, calida adhibetur. Quare autem, quæ aquâ frigidâ ablui non poſſent, cedant calidæ? hæc eſt, quia aqua calida ſe inſinuat per minima, & ſe inſinuando eorum, quæ lenta, viſcida, glutinoſa ſunt, firmam cohærentiam diſſolvit. Et hâc planè ratione arbitramur parietibus inteſtinorum & ventriculi adhærentes humores mucilaginoſos, lentos, viſcidos, glutinis inſtar ſe habentes, aquæ calidæ per potum affuſione diſſolvi, ita quaſi ablui ventriculum, materiâ profluentiore redditâ, & alvum tandem ſubduci, naturâ, quod diſſolutum eſt, & ad excretionem habile redditum, vacuante; Perinde ac in uſu clyſterum emollientium, abſtergentium, acto in inteſtinum calido liquore, brodio, decocto, oleo, evenire cernimus.

QVÆSTIO XVII.

An aqua calida ſummatim hæc præſtet, ſi bibatur: Diffundere, liquare, mollire, concoquere? ſecundum Aëtium l. c. n. 17.

SI (ut Fernelius conſtans Medicorum placitum proponit *Meth. Med. l. VI. c. 11.*) per ſe ſemper calefacit & humectat, mollit & concoquit, interdum tamen, & ex accidenti humores

mores quoq; digerit ac diſſipat aquæ tepidæ fotus, quidni & ejusdem potus? imò quidni? cum potus ille ſit quidam fotus? *Diffundere* eſt digerere, diſſipare, diſcutere, ut communiter loquuntur Medici, id eſt, ita extenuare, quod inhæret, ut vel ſponte ſuâ, in halitum & vaporem abeat & avolet. *Liquare* eſt, craſſum concretumque humorem fundere. *Mollire* hîc eſt id, quod durum eſt, (non ſiccitate ſuâ; ut lapis ſuâ naturâ ſiccus evaſit, & alia corpora talia ſunt; aut ſicut habitus corporis noſtri durior obſervatur à ſiccitate, quæ in Solis fervore contrahitur, aut ab ardenti febre aut inediâ relinquitur; nec repletione; ſicut uter plenus durus eſt, & hominis Aſcitici aut Tympanitici venter & pedes; ſed) concretione, plerumque ex influentis humoris natura, v.g. craſſam pituitam, humorem melancholicum, proprio calore deſtitutos humores, in tumoribus ſponte obdureſcentes & concreſcentes diſſolvere. *Concoquere*, hîc eſt, tum alimenti elaborationem in ventriculo adjuvare, tum vitiatum corruptumque humorem in convenientiorem naturæ ſtatum deducere; quo pertinet tum ἐκπύησις ſuppuratio, i. e. corrupti putridique ſanguinis præcipuè in pus commutatio; tum πεπασμὸς humorum dictus, quem mitificationem vocat Fernel. *l.6. M. M. c.11.* quæ eſt putridorum corruptorumq; humorum non quidem in pus, ſed tamen in benigniorem & minus naturæ moleſtam ſubſtantiam, converſio. Omnia hæc præſtare aquam calidam ſi bibatur, & hæc præſtando, in enumeratis affectibus proficuam eſſe, & ſpecialia quæ enumerantur commoda, ad hæc capita reduci poſſe, quicunque ſingula benè percenſet, facile inveniet. Sed, inquis, an non calefacit quoque & humectat aqua calida, ſi bibatur? Reſp. Aëtium illas ſolum calidi potus virtutes voluiſſe deſignare, quæ præter illas qualitates, quæ ex termino cognoſcuntur, conſideratione dignæ ſunt.

QUÆSTIO XVIII.

An aqua calida mucos ducat? juxta Aëtium l. c. n. 18.

NOn videtur ſermo eſſe de muco *mala pituita Naſi*, ut Catullus loquitur, quæ in non multum diſtante à deſtillatione malo,

malo, gravedine, quæ, præter cætera, nares claudit, ut Celſi verbo utar; ubi mucus ducendus omninò etiam eſt; ſed de muco ex pectore educendo. Non infrequens eſt, ut materia calida tenuis & acris depluat ad partes ſubjectas, & ita quoque ad pulmones, & hos quandoq; vel injuria aëris, vel aliis de cauſis refrigeratos. In his, qui ita ſunt affecti, materia tenuis p. n. inhærens, ſolicitat pulmones ad rejectionem, unde exoritur tuſſis; fruſtra tamen & ſicca; quoniam humor aquoſus tenuis inter tuſſiendū, ab aëre, qui tanquam manus humores ſurſum effert, ſec. Galenū *3. de vict. rat. in acut. t. 2.* diſploditur, nec ejicitur, ſed in pulmones recidit. vid. Gal. *l. II. de cauſ. ſympt. c. 4. Comm. in VI. Epid. ſect. 3. t. 18. IV. de loc. aff. c. 8.* Fatigat E. tuſſis, donec humor inhærens craſſior reddatur, & mucus fiat; id quod præcipuè fit, aucto calore, per coctionē. Quam cum lædat potus frigidæ, promoveat autē potus calidæ, ut ex Quæſt. VII. intelligi poteſt, non ineptè ſanè aqua calida in tali caſu dicitur mucos ducere. Iterum; pituitoſus humor qui vel à capite deſcendit, vel in pulmonibus ſequeſtratur, facile craſſeſcens, itē pus craſſum, humores inſtar viſci, vel luti (quibus comparationibus Galen. paſſim utitur) ſæpè organis reſpirationis inhærentes, frigido potu non poſſunt non denſari, viſcidiores pertinacioresq; reddi, ut efferēdis illis, aër, manus illa Galeni, ſit impar; ſicut ex jā dictis conſtat. Aqua verò calida, & multo magis potus medicatus calidus, auget partium ſpiritalium calorem, ad expugnandam humorum p. n. inhærentem frigiditatem, eorumq; lentori ſe inſinuando, ſequaciores eos reddit, atq; ita mucum ducit. Et hinc auxiliis in tuſſi laudatis, aquæ calidæ potus annumeratur à Medicis, quorum ſententiam eleganter propoſuit A. Cornel. Celſus *l. IV. c. 4. Utilis in omni tuſſi eſt, peregrinatio, navigatio longa, loca maritima, natationes: Cibus interdum mollis, ut malva, urtica: interdum acer, ut lac cum allio coctum. Sorbitiones quibus laſer ſit adjectū, aut in quibus porrum incoctum tabuerit. Ovum quoq; ſorbile, ſulphure adjecto, ſorbeatur. In potum verò primum aqua calida, deinde invicem aliis diebus hac, aliis verò vinum.*

ΘΕΡΜΟ-

ΘΕΡΜΟΠΟΣΙΑΣ

ſeu

Tractationis Medicæ

De

POTV CALIDO.

Diſſertationis poſterioris

Pars Altera.

QVÆSTIO XIX.

An Potus aquæ calidæ rejectionem juvet? Ex Aëtio l. c. n. 19.

GEneraliori uſus eſt vocabulo Interpres Montanus. Rectius vertit Cornarius ſcreatum juvare ἀναχρέμψει συνεργεῖν. quod propriè cooperari quaſi exſcreationi ſeu egeſtioni cum ſcreatu vel tuſſi, Dicitur autem ἀνάχρεμψις Screatio, ſi, quod ore rejiciendum, propter materiæ tenacitatem, aſpero cum ſono eliditur ex imis velut faucibus. Eſtque monente Galeno, *Comm. in I. prædictor. c.* 1. *n.* 7. una ex actionibus arbitrariis. Materia lenta & tenax, quæ ſcreatu rejicitur, ſolet in iſthmo oris circa fauces bivias, ut Fernelius appellat, adhærere: Hæc ut excutiatur, quaſſationem quaſi illarum partium inſtituimus, aërem ipſum ſimul impetuoſius moventes, quod ſine aſpero ſono fieri non poteſt. Et hic motus cum aëre ad excutiendos partibus intimioribus adhærentes humores, quamvis lentos & tenaces ſufficit utplurimum: Sicut videmus magnam partem mortaliũ, partem pituitæ à capite depluentis, & quæ alias in os eructatur, tempore autẽ ſomni faucibus inhæret, morâ & calore craſſeſcit & len-

teſcit, mane ſcreatu rejicere. At, ſi admodum lenteſcunt notati humores, inſtar viſci, vel inſtar luti exſiccentur, (quibus comparationibus Galenum uti, ſupra dictum,) non ſolum opera danda, ne humores illi magis denſentur, viſcidiores pertinacioresq; reddantur, id quod ex frigido potu accideret, ſed & omni ſtudio ſequaciores reddendi; id quod collutionibus, gargariſmis, lentori humorum ſeſe inſinuando illos diluentibus, incidentibus, abſtergentibus præſtamus, quorum actionem potus calidus non tantum non impedit, ſed in eundem cum illis finem conſpirat. Meritò ergò juvare ſcreatum dicitur.

QVÆSTIO XX.

An Potus calida dolores mitiget? ex Aëtij l.c. n.20. & Avicenn. l.c. n.14.

Mitigare dolores, ſeu, quod idem eſt, Anodynum eſſe, παρηγορικὸν ἢ πραϋντικὸν eſſe, in foro Medico ſpecialiter dicitur, quod perſiſtente doloris causâ, illum lenit & demulcet; cùm aliâs, quod partem cauſæ removet, aut ſenſum ſtupefacit, illum mitigare etiam dicatur. Major pars Medicorum Anodyna conſtituit temperata, corpori noſtro conſimilia, mollia, ut plurimum pinguia, cum triſti ſenſationi contrariam, jucundam & ſuavem efficere debeant. Non adeò diverſam videtur foviſſe ſententiam Galenus, quando ordine primo calida, & tenuis ſubſtantiæ ea eſſe dicit; cum calida ordine primo parum differant à temperatis; & hic quidem caloris gradus adeò non impediat virtutem anodynorum, ut potius effectum promoveat, minuendo, quamvis leviter, doloris cauſam, poris apertis materiæ portionem reſolvendo: nec Hippocrates Aphoriſm. V. 22. τὸ θερμὸν ἀνώδυνον inter cætera pronuncians, ob allegatam cauſam. Inter cætera Balneum aquæ tepidæ aut mediocriter calidæ, Fotus ex eadem in veſicis &c, ad anodyna pertinere, nemo facile auſit negare, contra univerſam Medicorum ſcholam: Atqui verò jam ſupra notatum, potum calidum ſimul eſſe fotum partium, per quas, aut in quas ſubit. Eſt ergò & illarum partium anodynum. Hinc Uſus Magiſter rerum optimus, Veteres docuit, (ut videre

Digitized by Google

videre eſt apud Plutarchum *lib. de tuenda valetudine c.*34.) etiam non ſitientes bibere θερμὸν ὕδωρ, calidam, à defatigatione, contentione virium & æſtu, ſentientes ſcil. internas partes relaxari & leniri; Recentiores etiam, ut Plauti formulâ utar, thermopotare gutturem, ventriculum, inteſtina; hauriendo ſcil. cereviſiam calidam, vinum igne calefactum, & juſcula calida inſtar potus.

QVÆSTIO XXI.

An potus calida eructationes, flatusq́, hypochondriorum inteſtinorumq́, diſcutiat ex Aëtij l.c. n. 21. *ſeu, An potus calida colicum dolorem levet & flatus diſſipet ex Avicenn. l.c. n.*2?

Ructatio, Ἐρυγὴ eſt ſonora per os ex ventriculo flatulenti ſpiritus emiſſio. *Flatus* hîc materia ſpiritalis aerea, incerto motus impetu partes, in quibus continetur, diſtendens, ac ita dolorem inferens. *Colicus dolor* ille notatur, qui flatulentus dicitur, quem flatus conſtituunt, & cauſæ flatuum effectrices continuare ſolent. Quæſtionem quod attinet, affirmativam probant, Aëtius & Avicenna *l.c.* qui non ſolùm artis principes hac in parte ſecuti, Hippocratem ſcil. qui *l. de vict. acut. c.*47. ait: *Si præcordium doloroſum fuerit, aut elevatum, aut obliquitatem aliquam habuerit, aut ſatietatem, aut lateris dolor adfuerit, & unâ cum dolore tuſſicula aut tormen, aut ventris dolor; quum horum quid adfuerit in præcordio, alvum maximè infuſis per clyſterem ſolvere oportet: bibet autem aquam mulſam calidam coctam:* & Galenum, qui in Comment. in ſententia Hippocratis nil mutat; ſed & deinceps applauſum in foro Medico invenerunt: Audiamus unum & alterum eorum, qui in illo probè verſati, calculo ſuo, in dictis affectibus uſum calidæ probarunt. Johannes Stephanus *diagog. ad incolumitatem diu ſervandam c*, 3. hæc habet: *calidiſſima aqua colicum dolorem (ſi flatus ſoboles ſit) miraculo ſopit, ſplenis inflationem deprimit, deletq́.* Claudius Deodatus *panth. hygiaſtic p. m.* 129. ait: *Commendabant Græci Medici etiam (ſcil. potum calidæ) quod ad orientales plagas degentes, ventres frigidiſſimos habuerint (quæ frequentiſſima flatuum cauſa) quos aqua calidæ uſu calefaciebant &*

H 2 *ventri-*

ventriculi frigiditatem temperabant. Bartholomæus Paſchettus *lib. II. de deſtill. c.* 4. ita concludit: *Concludo igitur, ſi quibus (ex illis qui defluxionibus tentantur,* de quibus ipſi ſermo) *aqua calida prodeſt, illis duntaxat prodeſſe, qui ſtomacho ſunt imbecillo, flatusq́ propterea gignere conſueverunt, quos ex actuali illa frigiditate aquæ læſionem pati, poſſibile eſt: Cui malo ſuccurritur eam ſumendo calidam. Hujus rei rationem ſequitur experientia, cujus nuper fidem fecit nobiliſſima Matrona Cateta Negrona ſoror Illuſtriſſimi Cardinalis Pinelli, quæ cum valetudinaria exiſtat, ſudoribus copioſiſſimè emanantibus, ventriculi imbecillitate, flatuum copiâ, anhelitus difficultate, arenularum generatione, pedum & crurum inflatione per intervalla laborans, multis abhinc menſibus cæpit in prandio & in cœna uti potu calido, aquâ, inquam, excalefactâ, vinoq́ miſtâ, ex quâ potione nil aliud ſe conſecutam mihi nuper retulit, quam quod non tantum in ventriculo & univerſo corpore frigiditatem, non tantam flatuum copiam percipiat, majorem tamen arenularum copiam mingendo emittat.* Ludovicus Nonnius *de re cibaria. l. IV. c. 6.* ait: *Quos ventriculi angor dolorve ex frigidis ſuccis vel flatibus affligit, ſummum auxilium ex calida imo ferventis aqua potu conſequi certum eſt: nam calore quod frigidum eſt, temperatur & compeſcitur flatus atq́; reſolvitur.* Confer. Anton. Perſ. *del bever caldo. c. 14. f. 53. a. & 55. b:* Ratio longè petenda non eſt, & jam tacta fuit. Cum enim potiſſima & frequentiſſima ſpiritus flatuoſi inteſtinis impetu moleſti cauſa ſit calor debilis, reſpectu habito ad materiam, ſanè quo quid promptius opem ferre debili calori aptum magis eſt, eo ad diſcutiendos flatus, & cauſam illos continuantem removendam videtur eligendum magis. Medicamenta quæ flatus diſcutiunt, quæ vulgò Carminativa (ſed ſine fundamento; Quaſi per carmina venti abſcederent medentibus ejurandi, ut loquitur Joh. Baptiſta van Helmont. *l. de flatibus.* §. 17.) dicuntur, vim ſuam exerere non poſſunt, donec calor, potentialem quem vocant, ab actuali ſuſcitetur; id quod ſine morâ aliquâ fieri non poteſt. Præferri ergò quodam jure illis videtur poſſe calida. Ex eodem fundamento videmus non nullam opem ferre Externa, quæ admoveri ſolent: ut ſunt Aſſer quernus calefactus, Panis recens ex furno calens, Lapis ophites ſeu ſerpentinus calefactus, Tegula lateritia calefacta &c. quæ linteo involuta ventri imponuntur,

& ſolo

& ſolo calore auxilium ferunt. Ex ratione E. omninò dictum videtur, à ſupra citatis Medicis, potum aquæ calidæ ad extenuandos flatus craſſiores, ut impetu nocere amplius non poſſint, facere. Recentior atque ſagacior ætas, ex allegata ratione, videtur juſcula ſua calida tantopere commendare, quæ ferè nihil differre à potu, ſuperioris diſputationis de Potu calido §. 21. dictum: imò prout populus adſuevit vel vino, vel cerevisiæ, & illud & hanc in eundem finem calefacere. Optandum eſſet, ut in colicam, ob debilem viſcerum calorem proni qui ſunt, caperent hanc doctrinam, & aſſueſcerent minus frigido potui; Forſan non minima præſervationis pars in hoc conſiſteret.

QVÆSTIO XXII.

An Potus calida urinam ducat? ex Aëtio l. c. n. 22. & Avicenna l. c. n. 13.

MEdicamenta urinam ducentia à Medicis communiter diſtinguuntur in propriè & minus propriè dicta. Illa ſunt calida & ſicca, quæ tenuitate ſubſtantiæ ſanguinem attenuant, colliquant, ſerumque ſecernunt: hæc verò minus calida, quædam etiam frigida, non tamen ſine tenuitate partium: item quæ abſtergendi vim habent; denique quæ multam aquoſam materiam ſuppeditant. Non ad priorem, ſed poſteriorem claſſem, potum calidum cum aquis quibusdam thermalibus & ſero lactis hodie paſſim uſitatiſſimo, pertinere, ultrò patet. Calida enim etiam aqua, jejuno ventriculo ingeſta ſine mora tranſit ad renes, habetque levem abſtergendi vim, ut ſuperius declaratum fuit, perluensque renes, ſecum rapit, quæ remoram injicere ſolent urinæ vacuationi; Simulque ſi tepida ſolum fuerit, fervorem renum in coagulatione ſabuli & generatione calculi efficacem ſenſim reſtinguit: Hinc Alexander Trallianus *l. IX. c. 4.* jubet, *bibere ante omnem cibum, aquam tepidam. Nihil enim,* addit, *renes adeò recrementis vacuos temperatosq; reddit, ut non amplius calculos procreare poſſint: Nam temporis ſpatio igneus ipſorum calor à tepore aquæ extinguitur.* Et in genere, *Græci ad reprimendum renum fervorem calidæ potum ante alios cibos ſummopere commendabant*, notante Hieronymo Mercuriali *var. lect. l. 1. c. 8.*

Confer. Jul. Cæſ. Claudin. *de ingreſſu ad infirmos Append.p.146.* & exemplum quæſtione ſuperiore ex Paſchetto adductum. Hinc facilè intelligitur, quare Medicamenta, quæ urinam ducere debent, calida actu non ſine ſucceſſu propinentur.

QVÆSTIO XXIII.

An Potus calida Concoctioni, Diſtributioni, Nutritioni, Augmentationi conferat? *ex Aetij l. c. n.23.*

MAjorem mortalium partem, utut *calidum* ſit *amicum Naturæ*, bene valere, conſequenter concoqui & diſtribui in illis ritè alimentum, nutriri eos feliciter & ad juſtam magnitudinem pervenire, ſi, cæteris paribus, frigido utantur potu, ſuperiori diſſertatione fuit declaratum. Ad certum ergo malè adfectorum hominum genus neceſſe eſt reſpexiſſe citatum Medicum Aëtium. Notavit illud ſupra laudatus Medicus & Philoſophus Veronenſis, Bartholomæus Paſchettus, ex ratione concludens, illis ſolum prodeſſe, qui imbecillo ſunt ſtomacho, exemploque ſtatim rem illuſtrans. Sicut ſcil. ventriculi calor vegetus à moderatè frigido potu, moderationem quandam debet accipere, ita languidus & frigidus non tantum nullam à frigido contemperationem deſiderat, ſed & additionem caloris poſtulat, quam molimur etiam aliàs internis & externis. Sicut quibus circa ventriculum primam concoctionis officinam, partes omnes officium faciunt, opus non habent, ut promovendæ coctionis gratia, fotus exterius admoveant; deficientibus verò integumentis naturalibus ad fotum comparatis, pinguedine, omento, neceſſe habent ventrem fovere externis, ut docet Galenus *l.IV.de Uſu part.c.9.* enarrans exemplum Gladiatoris cujuſdam, qui factâ per vulnus jacturâ omenti, à frigore externo lædebatur, ut non ſuſtineret nudum habere ventrem, ſed lanis aſſiduè eſſet obvolutus; & plerique Practici inter cauſas frigidioris ventris enarrantes, defectum pinguedinis, omentum brevius, tenuius, diminutum, ablatum; ita qui frigidum habent ventriculum, inteſtina, viſcera alia, à frigido etiam potu læduntur, auxilium habent ex fotu à potu calido. In hiſce ergò coctione quadantenus correctâ, diſtri-

diſtributionem, nutritionem, augmentationem felicius peſagi facile capit, qui haſce actiones coctionem laudabilem præſupponere intelligit.

QVÆSTIO XXIV.

An Potus calidus menſes cieat? ex Aëtio l.c. & Avicenna l.c.n.12.

GAlenus *lib. de vena ſectione adverſus Eraſiſtrateos c.3.* memorat, ſuâ ætate Romæ accidiſſe, ut,cum vulgo mulieres aquā frigidiſſimam ex nive potarent, aut nullo pacto, aut prorſus diminutè purgarentur: Experientia etiam fidiſſima rerum Magiſtra, qui ad talia mentem advertunt, certo certiores reddit, ſuppreſſionis menſium imminere periculum feminis, ſi, modò perſoluturæ, aut jam perſolventes lunare debitum,cibis craſſis aut aliâs minus commodis utantur, aut potum gelidum ingerant. Unde ſaniores, vel uſu vel Medicorum præcepto edoctæ, ſummo ſtudio à gelidæ potu ſibi cavent, non minus quàm à frigore externo. Fundamentum præcepti Medici eſt, quod gelidæ potus, inducendo frigus,ſanguinem craſſiorem, & vaſa conſtringendo, ea anguſtiora reddat; quam ob cauſam, *frigido in his utendum, unde fluit aut fluxurus eſt ſanguis. Aph.V.* 23. Cum enim contrariorum contraria ſit ratio, facilè eluceſcit, potum calidum ad promovendum fluxum muliebrem comparatum eſſe, qui calore fundit ſanguinem & attenuat, fluxilemque magis reddit, meatusque laxat, ut hæmorrhagia ſequatur: Quare etiam extrinſecus adhibitum calidum frequentiore uſu (in balneis, perfuſionibus, irrorationibus; injectionibus, fomentis) hæmorrhagiarum cauſa traditur ab Hippocrate *Aphoriſm. V.* 16. Quanto ergò cautiores multis ex noſtratibus Ægyptiæ & Arabes mulieres, quæ dum fluunt menſes, vacuationis promovendæ gratia decoctum Chavæ fervens multis diebus bibunt, ut repetit ex Alpino D. Simon Pauli *Comment. de abuſu Tabaci & herba Thee.* Quæſtioni quam modo tractavimus,cognata eſt iſta: *An in puerperio aliquis potus calidi ſit uſus?* Et quidem qui ſubductâ ratione, examinatâque tum propriâ tum alienâ experientiâ, excuſſisque Scriptorum Medicorum placitis, rem determinant,

nant, ſtatuunt, primis præcipuè diebus tum alimenta tum potulenta actu calida , ſaltem nunquam valdè frigida propinanda eſſe , maximè ſi puerpera ſit tenella . vide Rodericum à Caſtro *de Morb. mulier. lib. IV. ſect. I. c.1.* Franciſc. Joel. *l. VIII. pract. ſect. 4. n. 9.* Danielem Sennert. *l. IV. pract. part. 2. ſect. 7. c. 1.* & alios. Ratio conſilii Medici eſt, quia non aliud magis firmat ſanitatem puerperarum, quam ſi lochia, id eſt, purgamenta puerperii bene procedant: Hæc ergo cum facultas ritè extermi net, ſi ſanguis & humores ſint fluxiles & viæ amplæ; eadem autẽ languidius fluãt aut ſubſiſtant, ſi ſanguis ſit craſſior & viæ anguſtæ, facile intelligitur, cæteris parib⁹, in puerperio locũ eſſe, potui calido ſive ad actualem ſive ad potentialẽ calorem reſpicias. Hinc eſt (ut annotavit Rodericus à Caſtro *l. ſupra cit.*) quod alibi cereviſiam calidam cum ſaccharo bibant puerperæ, alibi vini Hippocratici modicum illis concedatur ., alibi vinum generoſum cum vitello ovi ſaccharo & cinnamomo aut croco (Gallis Chaudeau) apud nos juſcula & brodia carnium calida , alibi etiam juſcula piſorum (v. Sim. Pauli *Quadripart. Botanic. claſſ. III. cap. de piſa minore*) præbeantur. Miramur E. meritò , imò damnamus temerariam naſutularum quarundam mulierculàrum importunitatem & vanitatem, quæ ſtatim à partu enixæ, exhibent bonum hauſtum (ut loquuntur) frigidæ, ad præſervationem dolorum, quos poſt partum vocant. Quamvis enim ſupprimeretur durans adhuc matricis excludendi conatus, ſanguis tamen qui vacuari debet impurus, craſſeſcit & viæ arctantur, unde non poſſunt non ſequi plurima incommoda.

QVÆSTIO XXV.

An potus calidus nervis conveniens?

ſecundum Aëtium loc. c n. 25.

PErtinet hoc dogma Aëtii, quando ait, potum calidum nervis eſſe ἀλυσιτελέs, ad generale Hippocratis præceptum *Aph. V. 18.* quando ait, Nervis calidum eſſe ὠφέλιμον conducibile, frigidum πολέμιον inimicum. Confirmat aſſertum Ratio & Experientia. Ratio, quia nervi, ſicut aliæ partes exſangues & frigidæ , v. gr. oſſa, dentes, cerebrum, ſpinalis medulla, inteſtina, uterus, veſica,

pro.. prias

promptius & celerius offenduntur à frigore, quia exiguum habent calorem, quo ſe tueantur adverſus vim & injuriam frigoris, ut loquitur doctiſſimus Hollerius *Comment in Aphoriſm. cit.* Experientia ab omni ævo docuit, non ſolum ſi externæ partes nervoſæ læſæ v. g. vulneratæ, frigori exponantur, imminere periculum ſtuporis, convulſionis, paralyſeως; ſed & ſi internæ nervoſæ affectæ ſint, ſummum diſcrimen imminere ab intensè frigidis ingeſtis. Nervis E. conveniens potus calidus.

QVÆSTIO XXVI.

An Potus calidus Aſthmati conveniens?

ex Aëtij l. c. n. 26.

ASthma eſt reſpiratio denſa, frequens & impedita, quâ qui premuntur, (qui inde aſthmatici, anhelatores, & ſuſpirioſi appellantur) ſine anhelatione reſpirare nequeunt, plerumq; ſine febre, ab anguſtia bronchiorum pulmonis proveniens. Hujus peſſimus gradus eſt orthopnœa, quâ difficilius adhuc, nec niſi rectâ cervice ſpiritus ducitur, propter ſuffocationis quaſi ſubinde imminentis ſenſum. Quamvis autem plures tum à quibusdam ex Veteribus, tum præprimis à recentioribus, deſignentur cauſæ anguſtiæ illius in pulmonibus, ut videre eſt apud Sennertum *Prax. Med. l. II. part. 2. c. 2.* Vulgata tamen ſententia eſt (ut idem notat *l. c. quæſt. 2.*) frequentiſſimè à capite materiam pituitoſam deſcendere, pulmonum cavis firmius inhærere, quam ut evelli poſſit, progreſſu temporis magis magisque craſſeſcere ac ſicceſcere, vi caloris in vitream, imò gypſeam pituitam verti, imò in grandines & calculos concreſcere: materiamq; illam tum obſtructione, tum compreſſione, anguſtiæ illius eſſe cauſam. Ad hanc communem ſententiam videtur reſpexiſſe Aëtius, quando Aſthmati convenire potum calidum aſſeruit. Hoc ſuppoſito, ſummâ cum ratione id aſſeruiſſe facile capit, qui ex ſuperioribus intelligit, aquam calidam, diffundere, liquare, mollire, concoquere, ſi bibatur. Ipſe certè uſus docet aſthmaticos, frigus in potu vitare.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXVII.

An Potus calidus Plevritidi medeatur?

ex Aëtio loc. c. n. 27.

PLevritis eſt dolor lateris punctorius, à phlegmone ejus membranæ, quæ coſtis ſubtenditur. Hôc urgente, potum calidum commendat Medicorum Princeps Hippocrates *l. de vict. acut. c. 47.* *Si lateris*, inquit, *dolor adfuerit, & una cum dolore tuſſicula, aut tormen, aut ventris dolor; cum horum quid adfuerit in præcordio, alvum maximè infuſis per clyſterem ſolvere oportet; bibet verò aquam mulſam calidam coctam.* Nec in illius ſententia quicquam mutat Galenus *in Comment.* Confer eundem *Comment. III. de vict. acut.* ad verba Hippocratis; *Cum autem dare volueris oxymeli valde acre, perquam tepidum, paulatimq́, & non affatim dabis.* Avicenna *l. III. tr. 5. c. 1.* docet, in plevritide, præſente hyeme, ſumenda eſſe calida, æſtate verò tepida ſive temperata. Celſus ait: Utendum cibis potionibusque calidis, vitandum frigus. Magis rem determinat Laurentius Joubertus de Plevritide agens, dum ſcribit: *Simplex aqua parum aut nihil confert ad curationem; eaq́, frigida hic peſtilens eſt, ut Galenus in methodo curativa frequenter repetit, ex internâ inflammatione febricitantibus eâ maximè interdicens. Quod Aretæus de Pleuritide agens confirmat his verbis: Cur frigidam aquam pleuriticis nonnulli dedere Medici, nec ratione aſſequi poſſum, nec experientiâ perſuaderi. Si enim quidam à frigida periculum evitarunt, illi mihi fuiſſe pleuritici non videntur &c. Etenim in lateris inflammatione & ſuccingentis tumore, non ſolum frigida aqua, ſed etiam frigida reſpiratio mala eſt. Quamobrem temperatam præcipit exhibere Trallianus h. e. egelidam, non jam tepidam, ut habet interpres, niſi tamen placeat tepida; ſic enim convenientior fuerit. Placere autem poteſt propter conſuetudinem, anni tempus, regionis temperiem, &c.* Ejusdem eſt ſententiæ Dn. Sennertus *Pract. cap. de Pleuritide* ita rem deſignans. *In Pleuritide potus non ſit actu frigidus*; videnturque Doctores uno verbo hoc ſibi velle, frigus in potu vitandum Pleuriticis quantum fieri poteſt, ne ſputum & quod inſenſibiliter tranſpirare debet, retineatur: quæ verba ſunt Domini Sennerti *l. c.* quia ſcil. ut ſupra deductum, frigoris

frigoris eſt denſare & obdurare; quod frigus integris viribus in potu, pulmones, quorum membrana cum pleura continua eſt, afficit; ſicut & eos affici, quotidiana teſtatur experientia. Meritò ergò damnamus etiam hodie intenſum frigus, quando Pleuriticis decocta hordei, Cornu Cervi, Paſſularum, Jujubarum, Liquiriziæ, ſeminis Aniſi, Fœniculi & ſimilia commendamus; quamvis miſeris ægrotantibus, præcipuè non niſi frigidâ ſitim relevare adſuetis, & majori adſtantium parti, hoc durum admodum videatur, ſicut quotidiana docet experientia, & innuit Seneca Epiſt. 78. tormentis Medicis ex mente vulgi potum calidum annumerans, dum ſcribit: *Omnia iſta facile perferemus Sorbitionem, Aquam calidam, & quicquid intolerabile videtur delicatis & luxu fluentibus, magisq́ animo quàm corpore morbidis.*

QVÆSTIO XXVIII.

An Potus calidus in Peripneumonia utilis?

ex Aëtio l. c. n. 28.

PEripnevmonia eſt Pulmonum phlegmone. In hac, quæcunque ſuadent in Pleuritide fugiendum potum frigidum, præferendumque egelidum, tepidum aut calidiorem, frigidam reddunt ſuſpectam; quamvis ſummus calor ſæpè eam ſummopere expoſtulare videatur. Propterea decretum Celſi *l. IV. c. 7.* noſtram facimus theſin. *In Peripnevmonia Potui danda non ſolum pura aqua, ſed etiam mulſa egelida: aut ſi æſtas eſt, etiam frigida; niſi quid obſtet.* Ipſe affectus ſemper poſtulat potum non frigidum, ut Dn. Sennertus loquitur; Accideret tamen ſolet ex variis cauſis, ex quibus æſtatem exempli loco nominat Celſus, ut niſi frigido aëre & potu ſummus æſtus & ſitis frangatur, æger par eſſe nequeat, incidat in Leipothymiam & Syncopen, imò ſuffocatio ſequatur. Hâc urgente neceſſitate, inter duo mala minus eligendum, & potus frigidus, quamvis noxius, concedendus, ne fruſtra cruciatum ſiti ægrotantem enecemus, ut non nemo loquitur. Scilicet, ſicut alias *ex agroto conjecturam facere oportet, an is cum præſcripto victu perſtet ad morbi usq́ vigorem, anne prius deficiat, imparq́ cum tali victu ſuccumbat, quam cedat morbus & ob-*

I 2 *tundatur,*

Digitized by Google

tundatur, ſecundum Hippocratem *Aphor. I. 9.* ita in hac diætæ parte idem obſervandum.

QVÆSTIO XXIX.

An potus calidus in Angina commodè propinetur? ex Aëtio l. c. n. 29.

HIppocrates *l. de vict. rat. in morb. acut. c. 39.* vel quicunque author ultimæ libri partis, differens de angina, ait: *Bibat autem æger aquam, & aquam mulſam non frigidam.* Galeno *Comment. IV. in hunc librum n. 30.* Sententia illa inter cæteras probatur, ut annotat Andræas Cæſalpinus *quæſt. Med. l. II. cap. 7.* Notandum verò ex eodem Galeni Commentario, qui librum illum ſcripſit neglectis nominibus, omnes qui tum in faucibus tum gutture exiſtunt, arctantque reſpirationem, affectus, Synanchas Anginas appellâſſe, tum pituitoſos, tum bilioſos. Ex contextu autem elucefcit, de pituitoſo affectu, quem hodie Anginam notham appellant, materiâ à capite in cervicis & colli muſculos decumbente & mole anguſtiam internis partibus inferente, ſermonem eſſe, in quo commendatur potus non frigidus: unde Braſavolus ad illa verba, *Haud frigida*, addit, *quia materia eſt frigida, quæ morbum facit, & ne partes etiam, per quas tranſit, ob frigiditatem obſtruantur, ſed potius aperiantur, & aliquid ex caliditate actuali reſolvatur.* Unde cauſa aſſertionis ſimul intelligitur. Quod ſi ergò talem Aëtius notet affectum, de veritate pronunciati jam conſtat: modo notes, ejusmodi authoribus ſermonem eſſe de angina facta, humore in partem recepto, non de fiente, humore in partem adhuc influente. In hac enim, cum inter præcipuos ſcopos ſit, repellere materiam, ne in iſthmum faucium irruat, quibus præcluſis actum eſt de vita; (quem in finem Gargariſmi, & Collutiones oris & linctus ex frigidis & adſtringentibus præſcribuntur,) huic ſcopo in diæta videtur reſpondere potus frigidus. Sed quæritur hic merito, an potus calidus locum habeat in propriè dicta συνάγχῃ ſeu Angina, id eſt, ſummarum gulæ gutturisque partium inflammatione? Videtur nobis, (ut eâdem diſtinctione utamur) in fiente minimè locum

cum habere; quoniam actualis calor, laxando partes, invitaret humores, qui jam ſunt in procinctu: in factâ autem, niſi urgens febris aut alia cauſa aliud ſuadeat, commendari poſſe videtur potus calidus, tum quia frigidum eiusmodi affectibus eſt mordax. *Aphoriſm. V.* 20. tum quia reſolutionem deſideratam, denſando partes, ſupprimit.

QVÆSTIO XXX.

Quo nomine commendetur Aqua calida tumores poſt aures habentibus? ex Avicenna l. c. n. 8.

TUmores notatos parotides paſſim appellant, & ſunt tumores inflammatorii in glandulis erumpentes, quæ pone aures & ad radices earum conſiſtunt. Hi quomodo ab ore aſſumptâ gelidâ lædantur, vel calidâ in emolumentum ægrotantis afficiantur, primâ fronte non ita obvium. Attamen ſi nobis revocamus in memoriam, inſignem partium totius organi auditorii conſenſum, & quod nonnullæ earum immediatè à potu frigido vel calido affici poſſint, non adeò difficile videtur, rem concipere. *Certum eſt*, (verba ſunt Johannis Riolani, Anatomici ſummi, Animadverſ. in Caſpari Bartholini anatom. p.m. 433.) *è concha, ſecunda auris cavitate canalem à Fallopio, nomine Aquaductus, deſcriptum, ad fauces ire, juxta latera apophyſis pterygoideæ, ut per eum ſordes auris internæ effluant; aër quoq; paucus & purus recipiatur; hinc auribus capras ſpirare, i.e. aërem trahere in cerebrum exiſtimavit Alemeon, & per eum canaliculum ſurdi per accidens audiunt, ſi in os loquaris; propterea valvula inutilis; nec unquam vidit Bartholinus; atq; fateor per eum canalem fumum Nicotianæ ore hauſtum effluere, ſi per aures emittant, ut vidi.* Confer Bartholomæum Euſtachium *libell. de auditus organo.* Thom. Bartholin. *Anatomiæ reform. l. III. c.* 9. Nicolaum Tulpium *Obſerv. Medic. l. I. c.* 35. Si ergò præter viciniam, dicti canalis ſitum & ductum conſideres, utique facile perſpicies, notatas ſupra inflammationes, concepto in ore à potu gelido frigore, poſſe inhorreſcere, denſatisque tum humoribus, tum partibus affectis, *dolores reddi inſuppurabiles*, ut lo-

quitur Hippocrates *Aph. V.* 20. cum tamen ſive criticè ſive ſymptomaticè erumpant parotides, omni ſtudio motus ille naturæ ab interioribus nobilioribus, ad exteriores ignobiliores partes omnium conſenſu ſit promovendus, & tumor vel diſcutiendus vel ſuppurandus. Ad has intentiones implendas, cum potus calidus egregiè faciat, iterum non immeritò videtur pronunciaſſe Avicenna, convenire potum calidæ tumores poſt aures habentibus.

QVÆSTIO XXXI.

An in Phrenitide commendari debeat potus calidus?

IN phrenitidis curatione cum diæta præſcribenda miſeris delirantibus, quæſtio incidit, (quam non pauci diligentiſſimi aliàs talium rerum annotatores inſuper habuiſſe miramur,) quamvis *βραχυπόται* meritò dicantur ab Hippocr. Phrenetici, Prorrhet. *I*. 16. & Galeno in Comment. imò ἄδιψοι quod parum & ex longioribus intervallis bibant, ob aberrationem mentis potiſſimum: Quæſtio, inquam, incidit: An phreneticis aqua frigida concedenda, an tepida potius præbenda? Contrarias enim non infimorum ſubſelliorum apud Medicos, reperias ſententias. Hippocrates & Galenus tametſi in terminis non reſpondeant ad hanc quæſtionem, videri tamen poſſunt frigidam damnare; quia, ſuppoſito, quod cerebrũ, vel membranæ hujus ſint affectæ, frigus omni ſtudio fugiendum præcipiunt: dum nobis inculcant, *Aphoriſm. V.* 18. *Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ: calidum verò amicum.* Ex Græcis porrò magni nominis Medicus Alexander Trallianus *l.* 1. *c.* 13. *de phrenit.* §. de pomaceis, fructibus & potu, ait: *Frigidam aquam vitare oportet, eo quod tuta non ſit. Nam ſi inflammatio circa ſeptum transverſum, aut aliam quampiam particulam inventa fuerit, non exiguum periculum ſequitur. Quamvis enim frigidæ potio mitigare ipſa videatur, tamen majores poſtea & malignas febres excitat, ut etiam alienatio mentis augeatur; breviter omnia ad deterius malignius q́ convertantur.* Avicenna inter Arabicos Sarracenos Medicos, judicio virorum doctiſſimorum, primum locum tenens,

Canon.

Canon. *L. III. Fen. I. tract.* 3. *c.* 3. ait: *Aliena eos* (ſc. Phreneticos) *ab aqua vehementis frigoris, propriè ſi in velamine diſtinguente apoſtema ſit, aut in viſceribus*; quæ verba illuſtrat illuſtris ejus paraphraſtes Johannes Stephanus Medicus ac Philoſophus Venetus, inquiens: *Illud verò non eſt negligendum, ut impendio frigidam non propines, maximè ſi phlegmone laborarit diaphragma, aut aliquod ex naturalibus viſceribus; tunc enim frigida inprimis noxia eſt.* Donatus Antonius ab Altomari magni nominis inter Italos Medicus *lib. de medendis humani corporis malis c. 6.* ita concludit: *In phreneticis aquam frigidam omninò vitare oportet, eò quod tuta non ſit: At tutius erit aquâ tepidâ uti, ut placuit Tralliano, & potiſſimum ſi ſeptum transverſum coaffectum ſit,* Hieronymus Capivaccius Pract. *Med. I.* 8. ſub finem, ejusdem eſt ſententiæ. *Quamvis*, inquit, *potio actu frigida fervorem mitigare videatur, inflammationem tamen reddit crudiorem, & hâc ratione, magis eam accendit, unde & febris & delirium augetur.* Confer Dominicum Leonum *Art. med. l. II. ſect.* 1. *c.* 1. Petrum Foreſtum *Obſervat. Medicar. X.* 4. *ſchol.* Calculum ſuum addit Johannes Heurnius *de morb. Cap. c.* 9. ita decernens: *Quoad potum, abſtineat phreneticus à frigido actu, ſi in diaphragmate hæreat malum, ne crudior inflammatio evadat, & ne febris ferocior poſtea inſurgat: quare tepidum bibat.* In contrariam ſententiam allegari poſſunt, citante Foreſto *l. c.* Alſaharavius inquiens: *Non evitetur eis* (ſc. phreneticis) *aliquo modo aqua frigida,* & Rhaſes in diviſionibus, ubi ait: *Non prohibeantur ab aqua frigida omninò.* Et horum quidem ſententiam probare omnes videntur, qui cum verba faciunt de phrenitide, nullam quoad hanc partem, quæſtionem movent, ſupponi rati, frigidam convenire. Rationes illorum quidem obſervamus: I. Quod frigidum, atque ita potus frigidus partibus nervoſis & membranoſis & cerebro inimicum. II. Quod frigidum omne deſideratam hoc in affectu materiæ reſolutionem impediens, eam ipſam magis impingat. Horum autem, 1. quod affectus calidus atq; ſiccus, frigidum atque humidum medicamentis reſpondentem potum expoſtulans. 2. Quod, tametſi ſitim non ſentiant, quia mens laborat, ſitis tamen cauſæ in illis urgent, caliditas & ſiccitas. Nos I. diverſarum ſententiarum & contradictionis cauſam

notamus.

Digitized by Google

notamus, diverſam acceptionem terminorum. Aqua enim frigida, ut ſupra expoſitum, vel notat communem illam aquam moderatè frigidam, nullâ arte aut ingenio frigefactam, nec naturâ exceſſivè gelidam: vel potum valdè frigidum, ut Aph. V. 24. *Frigidum veluti nix & glacies*, qualia populi nonnulli in defectu melioris, in potum fundunt, aut iisdem potui immodicum, acerbum & mordax frigus addunt. II. Deinde obſervamus alios magis ad inflammationem cerebri & meningum, alios magis ad inflammationem diaphragmatis, ſeu alios magis ad phrenitidem, alios magis ad paraphrenitidem, ſtrictius acceptis terminis, reſpexiſſe. III. Denique forſan reſpicientes ad illud Hippocratis *Aphoriſm. I. 17. Dandum aliquid Conſuetudini*, liberaliores in porrigenda frigidâ aut tepidâ fuere Medici; cum à conſuetis utrinque minus læderentur. His ſuppoſitis, I. Aquam nive aut glacie refrigeratam rectè omnes damnant. Fundamentum pete ex ſuperioris diſſertationis *th. 61. 62. 63. 64.* Illa partibus præcipuè nervoſis & membranoſis perniciabilis. II. Aquam moderatè frigidam in vera phrenitide arbitramur poſſe exhiberi, non item in paraphrenitide ſeu inflammatione diaphragmatis. Ratio eſt, quoniam gula cum duobus nervis ventriculum petentibus perforant ipſum diaphragma, & tranſeunt per illud, ita ut frigoris per gulam tranſeuntis vim ſentire diaphragma facillimè queat, imò non poſſit non ſentire, unde materiæ reſolutio impeditur, & magis illa impingitur; quod periculum potus actu calidus excludit; imò non excludit tantùm hoc periculum, ſed ut ſubiens fotus, deſideratam materiæ reſolutionem adjuvet, facit: Et huc reſpexiſſe videntur, qui potum calidum & tepidum in phrenitide adeò commendârunt. In vera autem phrenitide ſubeunte per gulam potu, dicto modo, frigido, cerebrum non ita illicò adficitur: hinc urgente febre, cæterisque paribus, concedunt phreneticis plerique aquam illam frigidam, coctam præcipuè & alterantibus convenientibus (v.g. hordeo, paſſulis, jujubis, glyzyrrizâ, rad. Cichor. flor. Violar. Roſar. &c.) meliorem redditam; vel ſyrupis convenientibus. vid. Felic. Platerum *de funct. læſ. l. 1. c. 3. de mentis alienatione.* Hieronym. Capivacc. *l. I. cap. 8.* Philot. Elian. Montalto *Tract. III. c. 14. fin.* Dominic Leon. *L. II. c. 1.* Joh. Heurnium *de morb. Capit. c. 11.* River. *l. I. c. 11.* alios.

Prudens

Prudens verò Medicus in hac victus regiminis parte, nunquam non fuerit memor, dandum aliquid conſuetudini, tempori, regioni, ætati, ex Aph. ſupra citato.

QVÆSTIO XXXII.

An Acidulæ frigidæ ſemper bibendæ, an verò quandoq; calefactæ?

CUm potus aquarum mineralium acidularum, noſtratibus, (utpote quos celebres & famoſi in viciniâ fontes, præcipuè in aditu Sylvæ Hercyniæ, & juxta eam, Acidulæ Grisbachianæ, Petrinæ, Antegâſtenſes, Ribelſauenſes quotannis invitant,) non ſit infrequens, varios autem in illarum uſu committi errores, certum ſit, illos notari à Medicis, & datâ occaſione perſtringi, operæ ſanè videtur pretium. Quapropter cum recentiorum (Galenus enim adeò frigidè de mineralibus aquis egit, ut meritò Gabriel Fallopius *libell. de thermal. aq. & metal. c.10.* peculiarem quæſtionem, captus admiratione, formet; Quæ cauſa fuerit, quod tàm parcè de illis verba fecerit, cum tamen in uſu fuerint apud antiquos; & falſum ſit, potum thermalium aquarum eſſe novum Arabum inventum; ipſe autem aliâs facultates Medicamentorum diligentiſſimè ſit proſecutus; peculiarem ſcripſerit librum de Theriaca & ſimilibus? ſubnexâ reſponſione, quod Galeni mos fuerit, conjungere experientiam cum ratione, quarum alteram cum altera, quoad acidulas, non potuerit comprobare, cum Empiricum magis ſint medicamentum. Idem in noſtra hæc ſi incidiſſet tempora, procul dubio majorem illarum habiturus fuiſſet rationem) cum, inquam, recentiorum alii exiſtiment, peccare qui frigidas acidulas ingerunt; alii, peccare illos, qui eaſdem calefaciunt, non videtur abs re, hic ubi agimus de potu calido, ſi quæſtionem hanc ſubnectamus. Communior & quam tantum non omnes in praxi ſequuntur, ſententia eſt, Acidulas actu frigidas eſſe bibendas; quam mineralium aquarum diligentiores exploratores Jacobus Theodorus Tabernæmontanus in Hydrotheſauro, paſſim, Johannes Guintherius Andernacus *Dialog. II. de Balneis & aqu. medic.* & elogio meo

major

major, Melchior Sebizius *Diſſertat. de Acidul. Sect. II. diſſertat. 9.* commendarunt & inculcarunt; hâc tamen cum cautelâ; ut, ſi ex ſcaturigine exceptæ ſummè ſint gelidæ, fotu manus admotæ vaſi clauſo, ſummum frigus quadantenus frangatur, & lentè bibitæ in viis intermediis, priusquam ad ventriculum perveniant, aliquid frigiditatis deponant, ventriculi etiam, per medicamenta ante & poſt uſum, habitâ ratione, excluſis qui ventriculum frigidum, humidum, debilem, nauſeabundum, eructantem, habent.

Et retinendam illam ſententiam ſuadent Ratio & Experientia; Ut ex ſupra citatis Authoribus colligitur: Experientia quidem, quâ conſtat, quotannis multa hominum millia apud varias gentes ad ejusmodi fontes acidos, tanquam ad ſacram anchoram convolare, aquasque illarum actu frigidas bibere proſperò cum ſucceſſu, dum cum morbo ſanitatem commutant: Ratio autem, I. quoniam aquæ minerales acidulæ igni admotæ, mutant colorem, turbantur, ſpumeſcunt, reſolvuntur, amittuntque ex reſolutione acorem, quo palato placent, & virtutem, quæ illas adeò celebres reddit. II. Si, fugiens frigus & calorem, tepidas exhibeas, ventriculo ingratæ ſunt, eum, quia plura pocula exhaurienda ſunt, relaxant, & ad vomitum ſollicitant, quo aquæ iterum rejiciuntur. III. Ex acidulis calefactis avolavit volatilis ſpirituoſitas, à quâ aqua medicinalem virtutem & vim penetrandi, attenuandi, incidendi, ſudores movendi, urinas provocandi, &c. habet. quod non facile negabit, qui volatilis ſpiritus naturam intelligit, & acidularum, dum calefiunt, degenerationem unquam obſervavit, aut idem contingere in aliis liquoribus, v. g. vino, perpendit. Contrariam ſententiam, nimirum, acidulas calefactas bibendas eſſe, promulgavit magni nominis Medicus Gabriel Fallopius *tract. de therm. aq. & metall.* verba ejus ſunt: *Succedit nunc qualitas: Dico igitur, quod aqua (ſcil. mineralis) nullo modo debet aſſumi frigida, ſed calida, ita ut excedat teporem, non tamen usq; adeò, ut aſſumi non poſſit, & provocet ſudorem, & ſi calida actu naturali calore non fuerit, calefiat in duplici vaſe.* Probabilem eam reddere allaboravit Johannes Ludovicus Mœglingus, *Diſſertatione Medica, de inconſiderato acidularum uſu, oppoſitâ illis, qui eum omnibus indifferenter, & quo-*

dem etiam frigidum, magnâ item copiâ primo diluculo concedere non dubitant; adductis quibuſdam aliis authoritatibus & longâ rationum phalange. Verùm, cùm tùm ad rationes in ſpeciem adductas, ſolidiſſimè & doctiſſimè reſponderit, nunquam mihi ſine honoris præfatione nominandus Dn. D. Melchior Sebizius *Diſſert. de Acidulis 9. Sect. II.* in Corollario, ad Eum Lectorem remittimus, priori ſententiæ inhærentes, eamque noſtram facientes.

Soli DEO Gloria.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

L. GOTTSCHER
1971
Digitized by Google